Yale College Library
Presented by the Rev. Mr. Charles Chauncy

Vtriusque Epistolæ AD CORINTHIOS EXPLICATIO *ANALYTICA.*

VNÀ

CVM SCHOLIIS:

Authore *Gul. Sclatero* SS. Theol. Doctore,

Nunc tandèm à Filio suo *Coll. Regalis* in *Academia Cantabr.* Socio in lucem edita.

Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ: ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. 2 Tim. 3. 16. 17.

Optimus Interpres Scripturæ, est Scriptura.

OXONIÆ.
Excudebat GUILIELMUS TURNER,
An. Dom. *M. DC. XXXIII.*

REVERENDISSIMO, LITERATISSIMOQVE, EDVARDO KELLETTO, SS. Theolog. Doctori, ſancti *Petri* apud *Exonienſes* Reſidentiario: Nec non & eximiæ pietatis, ſummæq; eruditionis viro, M^ro *Georgio Goadio*, Coll. Regalis in Academiâ *Cantabrig.* Socio, ſuo non ita pridem Tutori dilectiſſimo, *Gulielmus Sclaterus* S. P. D.

QVod apud Perſas *olim in more poſitum fuiſſe legimus (ornatiſſimi viri) id nunc certè in hâc re nuncupatoriâ optimè obtinuiſſe arbitraremini, ſi adeò me immemorem officij mei monſtrarem, ut perfrictæ frontis homuncionis inſtar tantam utriuſque veſtrûm erga me benevolentiam, vel in ingrato ſinerem ἀμνηστίας barathro abſorberi, vel odioſâ ingratitudinis ſpongiâ penitùs obliterari:* οἷον καὶ τοὺς ἀχαρίστους, καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονέας, καὶ πατρίδα, καὶ φίλους: ὅπεσθαι δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἡ ἀναισχυντία, *ut ſcitè* Xenophon. *Anſam itaque eandem patefaciendi tàm opportunè oblatam, ambabus (quod aiunt) ulnis arripiendam duxi: Te verò imprimis hoc ipſo grati animi mei teſtimonio promereri cupio (Honorande*

Xenophon περὶ Κύρου παιδ. *l.* 1.

norande Doctor) quippe cujus ipse favorem, cum præ immaturâ jamdudum utriusque parentis orbitate, omni prorsus molestiarum intercapedine amotâ, varijs dolorum tempestatibus (nobis solummodo Orphanis nimium benè notis) anxiè exagitatus, in horridum despondentis animi scopulum tantùm non impegissem; cujus, inquam, favorem, tanquam secundam post naufragium tabulam inveni, & quasi beatior quispiam Favonius jam nunc afflâsset, in vado statim positus, tutóque Amoris, & consilij tui portu collocatus sum. Academiam indè (namque & antea in ejus album cooptatus sum) cùm jam exequijs ritè celebratis ex officio meo parentâssem, tuis illicò monitis instigatùs repetivi: Redeuntem autem tu (mihi post nullos memorande Goadi) *dulcissimis Amoris tui stillicidijs refocillabas, quemque omni omninò spe tutelari orbum, atque destitutum probè noveras (quasi mirifico quodam desiderio gestiisses) ingenuo (ut soles omnes) hilarique vultu amplexabaris: sed neque in amplexibus tantummodò hærebât, verùm altius adhuc radices agebat is Amor tuus singularis, & quasi paterni genij memor fuisses, singula mihi sæpiùs lubenti animo, tum ad victum, tum ad ornatum conducentia abundè quidem suppeditabas; adeò vt pensiculatiùs mecum animo volutanti, cuinam ego vestrûm plus sive officij, sive gratiarum debeam, idem planè mihi dicendum veniat, quod olim Cyrum illum Persicum matri suæ apud* Xenophontem *sciscitanti, Pater an Avus potiùs suus, (ætatis erat uterque provectioris,) plus formâ, pulchritudinéque præcelluerit, dixisse ferunt,* Περσῶν ὧν πολὺ κάλλιστος ὁ ἐμὸς πατὴρ, Μήδως μέντοι, ὅσον ἑώρακα ἐγὼ καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς, καὶ ἐπὶ θύραις, πολὺ οὗτος ὁ ἐμὸς πάππος κάλλιστος: *idem, inquam, mihi dicendum planè; Summersetenses inter tu mihi (venerabilis*

Xen. quâ suprà lib. 1.

nerabilis Kellette) *Amicorum Princeps; Cantabrigienses verò inter tu certè (plurimùm observande* Goadi) *multis parasangis cæteris anteire videris: Tibi (vir Doctissime) & consilijs tuis, quòd sim Bonus; tibi verò (vir eximie) tuæque eruditioni, quòd sim Benè, totus debeo. Quæ cum ita sint, Dicas mihi, precor, (ἔι τις αἴσθησις) indulgentissimo Pater, (si quis in cœlis vitam beatorum agentem harum rerum te nunc sensus tangat) annon in hâc re nuncupatoriâ filius te tuus (sperans se tandem virtutum tuarum hæredem fore) jure optimo suffragatorem habeat, utpote qui tales, tantos, & tot virtutibus exaggeratos, hujus operis tui posthumi patrocinatores delegit: Nollem (sancte Parens) tantam tibi irrogatam injuriam, ut sedibus illis supercœlestibus valedicens, iterum ad nos remeans, terras viseres; hoc esset te beatum nolle, ô quàm lubens aliter id ego manu meâ statuæ tuæ, quod ij olim (licet alio moti)* L. Bruti *subscripsere, subscriberem? Vtinam viveres! eo pacto & ipse (pater) qui à consilijs tuis intimis semper erat, charissimo* Kelletto *tuo gratificari, & qui mihi quicquid eruditionis habeam literaturæ impertivit, candidissimo, doctissimóque* Goadio *meo satisfacere potuisses. Ast fruere (ô beatissime) fruere, inquam, istis tuis nunquam transituris gaudijs, ad quæ nos etiam acriter anhelamus: fama interea tua, (quæ quasi quædam vicaria est vitæ demortui) ad insignes virtutes tuas persequendas filium stimulabit tuum. Ad vos iterum redeo (patroni mei) atque in vestrum patrocinium velis (quod aiunt) passis velificari gestio: quem verò huic operi patronum te digniorem comparare poteram (eruditissime* Kellette?) *quippe cujus ego semper de re literaria judicium non mediocriter sanè præ me tuli; quippe quem*

Alluf. ad illud Nazian 2. orat. κατ' Ἰουλ. *Etonæ* excus. p. 2.

Sueton. lib. 1. sect. 80.

Aretius, comment. in 4 cap. 2 ad Tim. 7. 8.

variæ, atque infinitæ ferè lectionis virum novi; quippe quem quasi βιβλιοθήκην τινὰ ἔμψυχον, καὶ σφιπατοῦν μουσεῖον *compertum habui; quippè qui, posthabitis rerum privatarum curis, corporisque neglectâ valetudine, in id solum animum, studia, cogitationesque omnes defixeris, ut purissima Christi doctrina, fœdissimis Romanæ sentinæ sordibus spurcè admodum coinquinata, diligentiâ tuâ perpurgaretur; quippè denique qui, cùm alij plerique omnes mansuetioribus studijs repastinandis operam navant, in perscrutandis tetricorum Scholasticorum difficultatibus, in contortis, atque aculeatis Papistarum Sophismatis enucleandis desudas; atque (ut verbo expediam omnia) licèt ad laterum periculum, ex flagello isto studiosorum, Renum scilicet calculo, me teste, sæpius etiam usque ad tormina discruciatus fueris, tamèn nec magnis unquam exantlatis laboribus deterreri, neque indefessis debilitatus vigilijs, ab incepto semel industriæ curriculo revocari potes: indicio, sat scio, erit, Comitijs hisce nostris proximis, locuples illud* ἐγκυκλοπαιδείας *gazophylacium, & quasi fragrantissimum quoddam lituraturæ myrothecium, nunc certè in manibus eruditi Typographi nostri Cantabrigiensis, sed à te solo (ex vngue nempe Leonem) â te, inquam, solo, miro quodam artificio extructum;* παράδεισος *(mihi crede)* τρυφῆς, *imò* τρυφῆς ἐγκαλλώπισμα. *Sed profectò nimis multa oratio est; Laconismon ego cum Neoptolemo illo Enniano amplecti mallem, quàm vos diutiùs fastidiosâ nimis prolixitate, ab attentâ operis lectione remorari: quòd si penitiùs velitis, & non quasi per transennam rem omnem introspicere, aut se gravissimorum virorum augurium fallit, aut omnia tam venustè docta, atque ad tersissimam Paulini sensûs puritatem adamussim interpretata comperietis, ut*

Cicero Tuscul. quæst. lib. 2.

non

non tantùm animos hominum ad legendum excitent, atque invitent, ſed jucundiſſimum etiam legentibus oblectamentum adferant. Quicquid eſt, vobis (viri digniſſimi) vobis, inquam, ſolis, hoc quicquid eſt paterno ſudore elaboratum commendari cupio; minimè omnium certè de cæterorum eruditorum calculis deſperans, modò placido ſereniſſimi vultûs veſtri afflatu amplexari dignemini; & cùm perpetuæ meæ erga dignitatem veſtram obſervantiæ, tum gratiſſimi animi immortale monumentum extare patiamini. Quod ſupereſt, Deum Opt. Max. obnixè comprecor, ut utrumque veſtrûm ad patriæ ſalutem, Muſarum patriocinium, Eccleſiæ denique decus & ornamentum, quàm diutiſſimè ſervet, & tueatur incolumes. Valete.

Veſtri ſtudioſiſſimus

GULIELMUS SCLATER.

Lectori Salutem.

Habes in hoc libello (Lector Candide) (nollem enim te prorſus inſalutatum præterire) commentarios quoſdam Analyticos in binas D. Pauli Epiſtolas ad Corinthios, à reverendo viro Patre meo, præmaturè (proh dolor!) fatis extincto, oppidò quàm piè atque elaboratè conſcriptos: breviuſculos eos quidem, neque tamen obſcuros: brevitate pluſquam Imperatoriâ (quod de Galbâ tradit Tacitus) utitur, non tamen quò fulgentem veritatis Paulinæ lucem tenebricoſis difficultatum nebulis offuſcare videretur, ſed ut propenſos ſtudioſorum animos acriùs ad legendum pelliceret, & perſpicuitatis voluptate, mentes hominum quaſi pruritu quodam titulante, delinitos teneret. Stylus quidem humilis eſt valdè, miniméque elatus, ſed naturali quâdam pulchritudine exurgens,

ornatus certè hoc ipſo, quòd ornamenta neglexerit; nè ſcilicet ſpecioſo nimis verborum fuco animis legentium imponeret, & non terſâ potius dicendi puritate obſcuritatem iſtam textus integumentis involutam amoliretur. Ipſum pro ſe loquatur opus; ex diligenti cujus lectione, ſi quid tibi emolumenti capere poſſis, hoc quicquid eſt laboris, aut induſtriæ noſtræ, æqui ſpero te, bonique, totum conſulturum. Interim vale.

Tuus in Chriſto

G. S.

Sphalmata quædam literarum ſenſum immutantium.

LEge *pag.* 17. *l.* 1. per*ſiſtit*. *p.* 24. *l.* 4. χαριεθέντα. *p.* 28. *l.* 10. σωθήσεται, *p.* 31. *l.* 2. δοκιμάσει. *p.* 37. *l.* 26. Κύριος. *p.* 38. *l.* 15. κοκορισμένοι. *p.* 43. *l.* 13. *lt.* 85 *l.* 12. ὑμῶν. *p.* 44. *l.* ult. ὀνομαζόμενος. *p.* 46 *l.* 9. experiend*um*. *p.* 63. *l.* 5. γαμήσασα. *p.* 64. *l.* 5. κρεῖσσον *p.* 81. *l.* 22. qui *p.* 84. *l.* 10. Auguſtinu*m*. *p.* 88. *l.* 17. epithetic*i*. *p.* 89. *l.* 2 communi*s*. *p* 94. *l.* 4 aperto. *p.* 95. *l.* 12. hæreſes. *p.* 96 *l.* 14. exploramu*s*. *l.* 24. hortatur. *p.* 104 *l.* 2. *uſu*. *p.* 117. *l.* 16. ill*ic*. *p.* 146. *l.* pen. ſolent *p.* 151. *l.* 9. *de* Steph. *p.* 188. *l.* 24. *a*gentes. *p.* 190. *l.* 1. charitate. *p.* 191. *l.* 20. proponen*da*. *p.* 195. *l.* 20. πείθομεν, *p.* 196. *l.* 28. *nuncij*. *p.* 26. *l.* ult. *d*oluiſſe. *p.* 220. *l* 29. expoſit*ioni* *p.* 224. *l.* 10. largitu*s*. *p.* 234. *l* 9. de *ſe*. *p.* 246 *l.* 19. *cur* de.

Reliqua non morantur niſi Ariſtarchos lectores.

Vtriusque Epistolæ AD CORINTHIOS EXPLICATIO *ANALYTICA*; VNÀ CVM SCHOLIIS:

Authore *Gul. Sclatero* SS. Theol. Doctore,

Nunc tandem à Filio suo *Coll. Regalis* in *Academia Cantabr.* Socio in lucem edita.

Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ: ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. 2 Tim. 3. 16. 17.

Optimus Interpres Scripturæ, est Scriptura.

OXONIÆ,
Excudebat GUILIELMUS TURNER,
An. Dom. *M. DC. XXXIII.*

EPISTOLAE AD CORINTHIOS prioris Explicatio Analytica; vnà cum SCHOLIIS.

CAP. I.

HAbet hoc Caput, præter digreſſionem quandam poſt medium, partes præcipuas quatuor. 1. Inſcriptionem, *ver.* 1, 2. 2. Salutationem, ſive εὐχὴν, *ver.* 3. 3. Procœmium inde ad *ver.* 10. 4. παίνεσιν de tollendis ſchiſmatibus.

Inſcriptionis partes { 1 Subſcriptio. *ver.* 1. 2 Superſcriptio. *ver.* 2.

Subscriptio notat personas scribentium: sunt autem illæ *Paulus* & *Sosthenes*, vterque suis adjunctis declaratur. *Paulus* Apostolatus sui munere, quod ipsum explicatur, primò causâ instrumentali, κλήσει scilicet divinâ. 2. Efficiente sive objecto, Christo. 3. Causâ προηγουμένη, scilicet θελήματι Dei Patris. *Sosthenes* item adjuncto fraternitatis; cujus ratio vel communis, quâ Christianus; vel magis specialis, quâ Minister. Hæc versu primo.

Superscriptio personas habet, quibus scribitur hæc Epistola. Sunt eæ Principes quidem, Ecclesia *Corinthiaca*, descripta ex adjuncta sanctificatione, cujus tùm origo exponitur, Christus, tùm medium, vocatio Dei: Secundariæ & minùs principes, reliquæ Ecclesiæ *Achaicæ*, descriptæ effecto proprio, viz. Invocatione nominis Christi, qui ipse etiam dominatu suo vndequâque extenso illustratur. Hæc versu secundo.

Salutatio, sive εὐχὴ est *ver.* 3. vbi tria: 1. Res exoptatæ, *gratia & pax*. 2. Fons, *Deus Pater*. 3. Mediator, *Iesus Christus*.

Exordium ad benevolentiam spectat: Animum enim suum erga *Corinthios* benevolum profitetur; idque duobus modis, 1. Gratiarum actione pro donis Dei, quibus tùm pollebant, ad *ver.* 8. 2. Professione spei certæ de eorum firmâ perseverantiâ, ad *ver.* 10. Ac gratiarum quidem actio declaratur quatuor ferè circumstantijs: 1. Objecti, scilicet Dei, ad quem tanquam bonorum omnium, fontem dirigitur. 2. Frequentiæ, πάντοτε. 3. Causæ materialis,

alis, πᾶσι ὑμῖν. 4. Causæ procatarcticæ, gratiæ scilicet donatæ in Christo; quæ ipsa gratia declaratur, 1. Genere suo, est enim gratia non quævis, sed quæ à Christo, & in Christo est, *ver.* 4. 2. Varietate multiplici, ἐν παντὶ. 3. Copiâ, πλουτίζεσθε. 4. Speciebus certis præcipuis, quibus vt præ cæteris pollebant, sic etiam abutebantur, viz. eloquendi facultate & scientiâ, *ver.* 5. quæ ipsæ mensurâ suâ amplificantur, (πάντα λόγον, πᾶσαν γνῶσιν) quæ tamen perfectio proportionalis esse dicitur, non absoluta: nam secundum rationem & ἀναλογίαν revelati & confirmati Evangelij, sic erat mensura & eloquentiæ & scientiæ, *ver.* 6. 5. Perfectione, etsi non graduum, quæ non cadit in hanc vitam, tamen partium, *ver.* 7. 6. Effectu, expectatione scilicet secundi adventûs Christi, cùm id quod est ex parte, abolebitur, & bonorum omnium perfectio, quatenùs in creaturam potest cadere, concedetur sanctis, *ver.* 7.

Alterum benevolentiæ Paulinæ argumentum est, quòd & sperat & promittit certissimam in statu gratiæ perseverantiam. Promissio hæc 1. proponitur, *ver.* 8. 2. probatur argumento triplici, 1. Effectu ad officium mediationis Christi spectante. Hoc modo: Quos Christus præstabit ἀνεγκλήτους in die judicij, ij certò perseveraturi sunt: non sunt enim ἀνεγκλήτοι in illo die, nisi qui ad finem vsque perseverant, *Matth.* 10. 22. At Christus vos præstabit ἀνεγκλήτους in die judicij, Ergò, confirmabit vos in gratia recepta, & per consequens, certò perseveraturi estis. 2. Constantiâ Dei & Fide, πιστὸς ὁ θεὸς. 3. Præsenti

senti communione, adeóque vnione cum Christo: Syllogismus sic habet; Qui à Deo vocantur, ad communionem cum Christo, ij certò perseverabunt. Ratio, constans est Deus. At vos à Deo vocati estis, ad communionem cum Christo. Ergò *ver.* 8. 9.

ΣΧΟΛΙΑ *ex hac parte.*

Ver. 1. διὰ θελήματος Θεοῦ.] voluntatem Dei intellige sive beneplaciti, sive signi: nam & æterno Dei decreto ac consilio ad hoc munus designatus est, *Gal.* 1. 15. & completo jam tempore, expresso Dei mandato ad Apostolatum segregatus, *Act.* 13. 2.

Ver. 2. ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, κλητοῖς ἁγίοις.] Quid interest inter hæc duo, sanctificari in Christo Iesu, & per vocationem divinam sanctum esse? num περισσολογεῖ *Paulus*? Resp. Minimè verò, nam primis verbis fontem sanctimoniæ denotat; postremis medium. 2. Sanctitas duplex. Externa altera in Deo efficiente nos spectans vt subjectum, quâ scilicet nos Deus κατ' ἐξοχὴν suam, vt loquitur *Petrus*, actu segregat à colluvie cæterorum hominum in peculiarem & sanctum sibi populum. 1. *Pet.* 1. 1, 2. Interna altera sive inhærens, quâ nos divinæ naturæ actu & realiter simus participes, reparante in nos imaginem Dei Spiritu Sancto, 2 *Pet.* 1. 3. illam primis, hanc postremis verbis intellige.

Ver. 6. καθὼς τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν, &c.] Varias

Varias hujus loci explicationes vide apud *Bezam*, & alios; ego sic explico: Ac si dicat Apostolus, charismata omnia spiritualia in *Corinthiis* elucentia, esse medijs scientiæ sibi à Deo concessis proportionata. (καθὼς) enim hóc proportionis notam existimo. Hoc itaque est quod hîc laudat Apostolus: non tantùm quòd efficax fuisset apud eos Evangelium, quod tamen alibi commendat, 1. *Thes.* 1. 5. sed quòd extensivè (vt ita dicam) efficax fuisset; adeò quidem, vt ne verbulum quidem vllum, aut syllaba suo fructu caruerit. Huic contraria est νωθρότης illa, quam in *Hebræis* damnat *Paulus*, *Heb.* 5. 12. quâ factum est, vt etiamsi aliquam habuerint mysteriorum salutis intelligentiam, non tamen eam tempori & medijs scientiæ proportionatam: confer locum.

Ver. 8. βεβαιώσει ὑμᾶς ἕως τέλους ἀνεγκλήτους.] ἐλλειπτικῶς, pro εἰς τὸ εἶναι ὑμᾶς ἀνεγκλήτους.

Sequitur παραίνεσις; Cujus summa est, vt omisso partium studio, vnitatem colant, & affectionum, & sententiarum, & doctrinæ.

Proponitur hortatio cum gravissimâ eorum obtestatione, eâque per nomen Christi. *ver.* 10. Hîc duo, 1. Agendi modus; obtestatio. 2. Officium; consentire, & quasi compaginari, tùm dictis, tùm sententiarum quâdam quasi identitate.

Ver. 11. Proponitur hortationis instituendæ causa motiva προληπτικῶς; vitium scilicet concordiæ huic contrarium, χρίσματα καὶ ἔριδες, quarum primò formam proponit, *ver.* 12. 2. Redargutionem; Argumento triplici, *ver.* 13. 1. Ab vnitate capitis Ecclesiæ,

(i.)

(i.) Christi, hoc modo : Si caput Ecclesiæ Christus vnus sit in se atque indivisus, sic erit & corpus; At primum verum, ergò & secundum. 2. A Iure Dominij atque denominationis, sic : ab eo solo pendere & denominari vos oportet, qui pro vobis est crucifixus : solus Christus, non *Paulus* pro vobis crucifixus est. Ergò. 3 A Baptismi suscepti formâ. sic. In cujus nomen baptizati estis, ab eo solo denominari debetis : At in Christi, non *Pauli*, nomen baptizati estis. Ergò. &c Hæc *ver.* 13.

Ver. 14. Sequitur Digressio duplex : quarum primâ gratias agit Deo, quòd nullam ipse incurrerat schismatis ciendi suspicionem, cujus culpæ vitandæ occasionem hanc fuisse agnoscit, quòd ipse parcè admodùm & rarò Baptismi sacramentum administraverat, *ver.* 14, 15, 16. Cujus facti sui rationem παρεμπτικῶς subjungit, *ver.* 17. non quòd baptismi administrationem contemnat tanquam indignam tanto Apostolo, sed quòd Christus ipse, à quo missus est, eum in prædicando Evangelio potiùs occupari voluit. Objectio sic habet. Qui ad baptizandum est missus, is malè facit, dùm gratias agit de baptismi omissione. At tu *Paule* ad baptizandum es missus, siquidem Apostolus, *Math.* 28. *vlt.* Ergò. Subjectio est, *ver.* 17. quatenùs assumptionem negat simpliciter intellectam. Distinguitur item major dupliciter. 1. Qui ad baptizandum mittitur cum absoluto mandato. 2. & baptismum ex contemptu vel rei, vel mandati mittentis omittit, ita vt nec ab alijs celebretur, is peccat omittendo; sic autem

tem non missus est *Paulus*, nec omissus ab eo baptismus.

Digressio secunda est posteriore parte versûs vndecimi; de modo Evangelizandi simplici miniméque fucato; quem notat *Paulus* obliquè, tanquam occasionem schismatum; dum scilicet alij fucos hosce nimiùm affectarent & sectarentur; alij item simpliciorem desiderarent docendi modum, ideòque partibus inter se scinderentur. Sed textum videamus. Dixerat *Paulus* se ad evangelizandum potissimè missum esse: Ac prædicationis quidem sibi impositæ modum præscriptum proponit, dicitque simplicem eum esse, & ab omni verborum pompâ ac lenocinio alienum, qui Deo placet, ac proindè cavendam esse sublimem illam dicendi formulam. ἐκ τοῦ σκοπὸς λόγου, Ratio est à fine, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ. Sic. Qui modus agendi crucem Christi evacuat, is non est adhibendus: At prædicandi modus, qui est cum ornatu orationis evacuat crucem Christi. Ergo. non est adhibendus. De assumptione quæri hîc potest, quomodo ornatum illud dicendi genus crucem Christi evacuat? Sciendum primò de Merito hîc non agi, sed de efficacia. 2 Crucem Christi μετωνυμικῶς intellige doctrinam de Christo crucifixo; vt ipse explicat verbis proximè sequentibus; ὁ λόγος ὁ τοῦ σταυροῦ: est itaque sensus, ornatum illud & fucatum dicendi genus efficaciam doctrinæ de Christo crucifixo evacuare. Quî id verò? quia distinent animos auditorum, & ad se pelliciunt flores illi & oblectamenta orationis, adeò vt nucleo doctrinæ ne-

quaquam attendant. Vel 2, quòd periculum sit ne fides non tàm naturæ ipsius doctrinæ tribuatur, quàm eloquentiæ docentium. Vide *Theophilactum* ad hunc locum. *ver.* 18. Argumentum est aliud pro simplici docendi formulâ, hoc modo; Cui potentia Dei cooperans divino decreto & ordinatione promissa est, is est optimus docendi modus: At ὁ λόγος ὁ τῦ σταυρῦ solus, non σοφία τῦ λόγυ, id est, nuda doctrina de Christo, sine adjumentis humanæ sapientiæ, est potentia Dei ad salutem, id est, habet promissionem cooperaturæ potentiæ divinæ: Ergò, simplex docendi modus, non ornatus, optimus: propositio aperta est, nihil enim agunt media sine potentia coagentis Dei. Assumptio 1 amplificatur; 2 probatur, *ver.* 19. Amplificatur antithesi diversorum ex subjectis; & quidem περιπτικῶς. Sic enim objici poterat. Nuda propositio crucifixi Christi, stultitia est; ergò, Eloquentiæ subsidia assumenda. Resp. distinctione duplici ad antecedens: stultitia est non in se, sed quoad homines, & homines non quidem omnes, sed perituros, quorum judicium in hisce minimè morandum; q. d. Videtur quidem hic prædicandi modus pereuntibus stultitia; nobis autem salvatis, potentia Dei est; quod ipsi experientiâ nostra exploratum habemus.

Probatur assumptio ex loco *Contrariorum*, *ver.* 19. quod Deus abolet ac perdit, ei non cooperatur potentiâ suâ, At σοφίαν τῶν σοφῶν, &c. perdit Deus, Ergò, non cooperatur ei; & per consequens, non eum probat prædicandi modum. Minor probatur 1, testimonio

teſtimonio Prophetæ *Iſaiæ*, *cap.* 29. 14. cujus explicationem atque accommodationem vide apud *Junium* in parallelis, *lib.* 2. *par.* 29. 2, Experientiâ communi, quam explicat *Paulus* Rhetoricâ ἀναστροφῇ, *ver.* 20. ποῦ σοφὸς; &c. οὐχὶ ἐμώρανεν; &c q. d. hoc ipſi experientiâ noſtrâ comprobatum vidimus. Hujus autem abolitionis cauſas motivas inſuper proponit, ad majorem hujus rei evidentiam, *ver.* 21. Cauſa prima eſt Impotentia ſapientiæ humanæ ad ſcientiam Dei, ac proindè ad ſalutem conſequendam; id quod ſigno declarat: Mundus per ſapientiam ſuam Deum in ſapientia ſua non cognovit; ergò, neceſſe erat aboleri ſapientiam humanam. 2, εὐδοκία Dei. 3, Propoſitum ſalvandi ſuos, voluit Deus ſalvare credentes, hoc non eſt aſſecutus vi ſapientiæ humanæ: Ergò, ſtultitiam (vt videtur) prædicationis ad hanc rem ſanctificavit.

Ver. 22. σκάνδαλον eſt exindè enata, quòd ſimplicem prædicationem Chriſti crucifixi dixerat μωρίαν: objicitur ideò; Cur hanc μωρίαν appellas? Reſp. Eò quòd quibuſdam tùm Iudæis, tùm Gentibus ſtultitia ipſa videatur: id quod probat ſignis; alioquin, inquit, nec Iudæi ſignum, nec Græci ſapientiam deſiderarent ad hoc, vt prædicationi noſtræ fidem adjungerent: At Iudæi ſignum, Græci σοφίαν deſiderant; Ergò, illis ſtultitia videtur, tùm materia doctrinæ, Chriſtus crucifixus, tùm docendi modus ſimplex. Quod autem dicit de Iudæis & Gentibus, non ad omnes extendit; nam ſunt, inquit, qui & potentiam & ſapientiam Dei in hoc agendi

modo agnoſcunt. Qui illi tandem? ſcilicet, Efficaciter vocati, quorum de re ipſâ judicium plurimi faciendum. Summa eſt, Stultitiam dico, non quòd ita revera ſit, ſed quòd quibuſdam, & iſs quidem non vocatis, ſic videatur.

Quod dixerat *ver.* 24. viz. hunc prædicationis modum, &c. eſſe potentiam & ſapientiam Dei, illuſtrat comparatione ſapientiæ potentiæque humanæ tanquam minoris, *ver.* 25. q. d. Ac verè quidem potentiam Dei & ſapientiam dico hanc de Chriſto crucifixo doctrinam, vtpotè quæ vtvt ſtulta atquè infirma videatur hominibus, omnem humanam tùm ſapientiam, tùm potentiam facilè exuperet.

Hoc deinceps probat ſigno experimentali. *ver.* 27, 28. Si per hæc ſtulta, infirma, vilia, &c. Deus confundat potentia, ſapientia, nobilia, &c. hujus mundi, tùm exuperat potentiam mundi infirmitas Dei, ſapientiam mundi ſtultitia Dei: At per ſtulta, infirma, &c. confundit Deus potentia, &c. mundi. Ergò. Minor probatur exemplo ipſorum *Corinthiorum*, *ver.* 26. βλέπετε τὴν κλῆσιν ὑμῶν, &c. vos Deus vocavit per inſipientes, infirmos, ignobiles, &c. Ergò, per infirma, &c. confundit potentiſsima. 2, Amplificatur minor ratione petitâ à cauſa finali; ideò enim hanc ſuos vocandi rationem init Deus, vt omnem hominibus adimat de ſemet gloriandi occaſionem, *ver.* 29.

Aliter hos verſus ſic licet ἀναλύειν: vt ſit tertium argumentum pro quæſtione principali, hoc modo: Quam regulam ſequitur Deus in perſonis homi-

num

num ſeligendis, eandem etiam obſervat in medijs vocationis: At infirmos, ſtultos, ignobiles eligit Deus, neglectis interim ſapientioribus. Ergò, & ſimpliſſima media ad vocandum adhibet: Minor 1 probatur exemplo *Corinthiorum*. 2, Illuſtratur cauſâ finali duplici; 1 vt pudefaciat potentes; 2 vt adimat omnem gloriandi materiam. Hæc *ver.* 26, 27, 28, 29.

Ver. 30. Sequitur παρένθεσις, ad levandam invidiæ ſuſpicionem, hoc modo; Quod dixi non multos ſapientes &c. vocatos eſſe, nolim ita à vobis intelligi, ac ſi vos excludam; illud enim ſcio, vos jamdudum ex gratia Dei Patris Chriſto inſitos eſſe, illiuſque ſapientiæ, juſtitiæ &c. participes factos eſſe, &c. Gloriandi tamen materiam etiam ipſis vocatis adimit, vt Domino integra tribuatur: idque duplici argumento. 1, Fontem aperiens vocationis, Deum, ἐξ αὐτοῦ. 2, Mediatorem bonorum deſignans Chriſtum, per quem ſolum, quæ habent bona ſpiritualia, ſunt aſſequuti; ipſi enim cùm ſint naturaliter ſtulti, injuſti &c. habent Chriſtum ſapientiam, juſtitiam, &c. itaq; omnis gloria ſalutis Deo tribuenda, vt *Hieremiæ. cap.* 9. 23.

ΣΧΟΛΙΑ *ex hac parte.*

Ver, 12. ἐγὼ δὲ Χριστοῦ, &c] Num hoc vitio vertendum, quòd quis ſe Chriſti eſſe profiteatur aut prædicet? Reſp. Chryſoſtomus & Auguſtinus, vt obſervavit

obſervavit *Beza*, hæc *Pauli* ipſius verba eſſe volunt, docentis quid potiùs dicendum ac profitendum eſſet *Corinthijs*: ſed malo hæc vt cætera τῷ μιμήσει adnectere. Nam & hujuſmodi videtur fuiſſe apud *Corinthios* factio, qui ſe vnius Chriſti diſcipulos Thraſonicè ſcilicet profiterentur; miniſtros interim Chriſti omnes ſuperbè faſtidientes. Duplex itaque hîc vitium taxat Apoſtolus: 1 Eorum, qui huic vel illi Miniſtro plus æquo addicti eſſent, adeò vt cæteros aſpernarentur: Alterum eorum, qui Doctores omnes planè contemnerent, ſolius Chriſti Diſcipulos ſeſe profitentes, ſpiritu planè Anabaptiſtico. Vide *Bezam*.

Ver. 14. *Εὐχαριστῶ ὅτι οὐδένα ἐβάπτισα.*] quæritur num rectè *Paulus* ſibi Baptiſmi omiſſionem gratuletur? Arguitur quod non. 1, quia opus bonum baptiſmi adminiſtratio, & à Deo miniſtris mandata. Syllogiſmus ſic eſt. Qui ſibi gratulatur omiſſionem operis boni is peccat, At ſic *Paulus*, nam Baptizatio opus bonum, quia à Deo mandatum. Ergò. Reſp. 1, Opus bonum dicitur dupliciter, 1 Materialiter: 2, Formaliter. 2, Omiſſio duplex ex cauſa motiva; 1, Contemptus. 2, Intentio majoris boni. 3, Gratulatio duplex, ſimplex & abſoluta: 2, Hypothetica & in Caſu, ſeu, Directa & Indirecta. Iam Reſpondeo. Qui ſibi gratulatur omiſſionem operis formaliter & ſimpliciter boni ex contemptu profectam, is peccat: At non ſic *Paulus*; nam 1 Opus hoc etſi materialiter bonum, non tamen formaliter nec ſimpliciter, niſi reſpectu habito

ad

ad circumſtantias. 2, Omiſit baptiſmi adminiſtrationem *Paulus*, non ex contemptu, ſed per intenſionem majoris boni, ſcilicet prædicationis Evangelij, Baptiſmi adminiſtrandi curâ ad alios interim demandatâ. 3, Non gratulatur ſibi omiſſum baptiſmum directè, ſed hypotheticè: non agit gratias ſimpliciter quòd omiſerit baptiſmum, ſed quòd omiſſionem Baptiſmi diſponente providentiâ divinâ, ipſe hoc pacto ſchiſmatis faciendi ſuſpicionem devitaverat.

Ver. 17. οὐ γὰρ ἀπέστειλέ με Χριστὸς βαπτίζειν.] &c. Num hoc verum? ſi Apoſtolus, *ver.* 1. ergò, ad baptizandum miſſus, *Mat.* 18. 19. ſi non miſſus ad baptizandum, ergò peccas baptizando *Stephanæ* domum. *ver.* 15, 16. Reſp. Hyperbolica locutio eſt, quâ abſolutè negatur id, quod ex parte negari intelligendum eſt: Intelligit enim *Paulus* ſe principaliter ad evangelizandum miſſum eſſe: ſimilis loquendi formula eſt, *Ier.* 7. 22. *Hoſ.* 6. 6. malè itaque *Theophilactus* hanc vt ſimplicem negationem ſumit. eum vide.

Ver. 20. ἐμώρανεν ὁ Θεὸς:] Infatuavit, ſcilicet, declarativè, hoc eſt, facto ſuo ſtultam eſſe oſtendit, dum agendi media alia prælegit.

Ver. 21. ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ.] Metonymia adjuncti: intellige fabricam vniverſi, in qua vt ſpeculo limpidiſſimo reſplendet ſapientia Dei Creatoris, *Rom.* 1. 20. ἐκ ἔγνω, &c.] At *Rom.* 1. 19 cognovit Mundus Deum ex opificio mundi? Reſp. Cognitio duplex: ſalutaris alia, alia non ſalutaris; hîc primam,

mam, illic ſecundam intellige. Novit vt eſſet inexcuſabilis, non novit ad ſalutem. διὰ τῆς σοφίας.] naturale ingenij acumen, etiam Arte atque induſtriâ adjutum intellige. διὰ τῆς μωρίας κηρύγματος.] hoc intellige vel ratione ſubjecti ſive materiæ, ſcilicet, Chriſti, vel reſpectu ipſius prædicationis; vel denique reſpectu modi prædicandi à Deo præſcripti. Nam quòd per Chriſtum crucifixum prædicatur ſalus, ſtultum videtur mundo: quòd per prædicationem communicatur ſalus, ſtultius: quòd denique per ſimplicem, adeóque humilem docendi modum diſpenſatur fides, ſtultiſſimum.

Ver. 25. τὸ μῶρον τοῦ Θεοῦ.] Ironica Conceſſio eſt: loquitur enim ex opinione hominum.

Ver. 26. τὴν κλῆσιν ὑμῶν.] eſt hîc Metonymia vel adjuncti pro ſubjecto, vel effecti pro efficiente inſtrumentalis; cui magis videntur favere verba ſequentia, & totus contextus, ſive ſcopus *Paulinus*. Diligenter conſule Scripturam. vide Analyſin.

Ver. 28. τὰ μὴ ὄντα.] Idiotiſmus eſt Hebraicus: non eſſe dicuntur, quæ hominum æſtimatione nullius ſunt pretij.

Ver. 30. ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία.] Metonymia eſt effecti; eſt enim Chriſtus & author & materia ſubjectiva ſapientiæ, juſtitiæ, &c. noſtræ.

CAP. II.

Cap. II.

PErstitit in eodem argumento de simplici prædicandi ratione; à Thesi transeuns ad Hypothesin; suum agendi modum exempli loco proponens, eumque rationibus quibusdam confirmans atque approbans: Proponit eo loquendi genere, quod Rhetores dicunt κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν. non, inquit, καθ' ὑπεροχὴν τοῦ λόγου, &c. Cujus ratio duplex; 1 Generalis illa doctrina superiùs tradita; κἀγὼ, inquit; igitur ego; scilicet, ne inanis redderetur Crux Christi; ne potentiæ divinæ gloria minueretur, &c. Ego igitur grandiloquentiam illam non adhibui. 2 Propositum humile ac modestum: decrevi apud me nullam præ me ferre scientiam aliam nisi Christi crucifixi; igitur Rhetorum pigmentis non sum usus. κατὰ θέσιν. *ver.* 3.

Ver. 4. Idem iterum repetitur eodem modo, ὁ λόγος μου, &c. κατ' ἄρσιν; οὐκ ἐν πειθοῖς, &c. κατὰ θέσιν; ἀλλ' ἐν ἀποδείξει, &c. Cujus ratio à fine; vt fides eorum fundaretur non in sapientia humana, sed in potentia Dei. *ver.* 5.

Ver. 6. προληπτικῶς docet non omni carere sapientiâ prædicationem suam: σοφίαν δὲ λαλοῦμεν, &c. q. d. non ita hoc intelligi velim, quod dixi de simplici prædicandi modo, ac si planè stulta esset prædicatio nostra; nam & sua inest prædicationi nostræ

venustas, sua sapientia : Sapientiam itaque facit duplicem ; secularem aliam, aliam divinam : secularem illam à se rejicit ; hanc assumit ; id quod probat testimonio syncerè fidelium, quos hîc πλείους vocat. 2 Sapientiam hanc describit vt laudet ; 1 ab authore Deo ; 2 ex qualitate, est enim mystica ; 3 ab Antiquitate ; 4 à causa finali. Hæc *ver.* 7. 5 â sublimitate ; quam probat 1 ex signo, ignorantiâ scilicet Principum Iudaicorum, declaratâ effectu suo : *ver.* 8. 2 Testimonio Prophetæ *Iesaiæ. ver.* 9.

Ver. 10. πρώτως nova est, ad declarandum authorem cognitionis nostræ, Spiritum. Objectio sic est : Si adeò sublimis est hæc doctrina, & supra omnem captum humanum, vos quomodo ejus scientiam adepti estis ? Subjectio est. *ver.* 10. Deus nobis revelavit per spiritum suum. *ver.* 11. πρώτως adhuc nova est : At Spiritus vnde hausit ? Resp. A se : id quod probat à pari. Si spiritus hominis abditissimos hominis sensus rimetur, quidni & Spiritus Dei, quæ sunt Dei teneat ? *ver.* 12. πρώτως etiam tertia est : At quid nobis cum Spiritu ? Resp. Deus eum nobis immisit ; idque hoc fine, vt sciamus quæ nobis donantur, à Deo. Summatim collige Argumentum ; vt probes filios Dei mysterium pietatis magnum habere cognitum : Sic est ; Qui spiritum Dei receperunt vti sciant quæ sibi donata sunt à Deo, ij scire possunt profundam hanc sapientiam Dei. Hujus propositionis probatio est, *ver.* 10. 11. At nos spiritum Dei accepimus ad hoc vt sciamus quæ sunt nobis donata à Deo. Ergò, nos hoc scire possumus :

possumus: Assumptio est, *ver.* 12. amplificata Antithesi contrarij Spiritus. *ver.* 13. Regressio est ad docendi modum per comparationem majorum; hæc scimus, inquit, nec scimus solùm, sed & loquimur; Ac locutionem enarrationemque hanc mysteriorum salutis amplificat Apostolus modo suo: is autem describitur 1 Negativè; dein Affirmativè: expressa causa modi affirmati; ex loco conjugatorum hoc modo, spiritualia spirituali modo sunt eloquenda, &c. hæc sunt spiritualia. Ergò, spirituali modo, sive verbis à spiritu dictatis enarranda, *ver.* 13.

Ver. 14. Quæstio proponitur προληπτικῶς hoc modo. Si hæc sit sapientia, & quidem divina; quî fit vt nec proponendi modum probent homines, nec propositam doctrinam intelligant? Resp. Homines in duplici sunt genere; φυσικοὶ; πνευματικοὶ; De animalibus verum esse fatetur quod objicitur; rationemque assignat hanc: eò quòd ista vi Spiritus & intelligantur & approbentur; Animalis autem homo spiritum non habet. Hæc *ver.* 14. Spiritualis autem secus se habet, ille enim omnia ἀνακρίνει; & quidem ita certò, vt à nemine erroris convinci queat: est Amplificatio notitiæ Regenitorum Notitiæ, à majori. Amplificatio probatur hoc syllogismo. Qui mentem Domini certò tenent, à nemine possunt dijudicari, sive erroris convinci; At nos (i.) spirituales omnes, mentem Domini tenemus. Ergò, à nemine dijudicamur: Assumptio est verbis vltimis. Propositionis omissæ probatio est initio *ver.* 16.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. ὑ καθ' ὑπεροχὴν λόγου, ἢ σοφίας.] ὑπεροχὴ λόγου est apparatus ille verborum suprà consuetum loquendi modum elevatus. ὑπεροχὴ σοφίας est illa, quam sibi vendicare solent ambitiosi, scientiæ sapientiæque plusquam ordinariæ, opinio; ex pondere (vt videri volunt) argumentorum à se excogitatorum, & concinnè in orationem contextorum. Vanitatem ambitiosorum obliquè taxat: rationem reperies hanc apud *Theophylactum*: quia plus gloriæ consequitur Christus, cùm per *Pauli* insciti am victor evadit, quàm si per ejusdem vel sapientiam, vel eloquentiam victoriam reportaret.

Ver. 2. ἔκρινα εἰδέναι τι, &c:] id est, profiteri sive ostendere scire me quicquam aliud.

Ver. 3. ἐν ἀσθενείᾳ καὶ ἐν φόβῳ.] valdè hìc placet D. *Bezæ* expositio, qui hæc ἀπιδεικτικῶς sumit ad illam quam dixerat ὑπεροχὴ λόγου καὶ σοφίας. timorem itaque & tremorem per metonymiam effecti intelligo modestiam *Pauli*, & summam animi ταπεινοφροσύνην. vide *Bezam*. confer *Phil.* 2. 12.

Ver. 4. ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας.] est genitivus efficientis. Hunc totum versum optimè explicat *Theophylactus*. Haudquaquam, inquit, meus sermo argutiolis & persuasionibus nitebatur, nec erat dicendi arte & cultu instructus; sed in spiritus constabat ostensione, hoc est, præ se ferebat Spiritum Sanctum.

Sanctum. Hactenus rectè, eum conſule. καὶ δυνάμεως.] Hæc illa eſt δύναμις, quâ Chriſtus docuiſſe populum dicitur; & *Stephanus Act. 6. 8. 10. vide Heb. 4. 12.* Cujus partes duæ, ἐξουσία καὶ ἐνέργεια; ἐξουσίαν interpretor authoritatem illam, quam habet in conſcientijs hominum is qui rectè ſecat verbum fidei. *Math. 7. vlt.* ἐνέργειαν *vide Heb. 4. 12. 1. Theſ. 1. 5.*

Ver. 5. ἵνα ἡ πίστις ὑμῶν μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν δυνάμει θεοῦ.] μὴ ᾖ, id eſt, ne ſit nixa ſapientiâ humanâ tanquàm fundamento; vel aliter rectiùs; ἐν σοφίᾳ, pro διὰ τῆς σοφίας, id eſt, ne effici putaretur per ſapientiam humanam, ac non potiùs per potentiam divinam in infirmitate mediorum exiſtentem. ἐν notat cauſam inſtrumentalem, ut ſæpè.

Ver. 6. ἐν τοῖς τελείοις.] *Beza* & *Piſcator* τελείους interpretantur, adultos in fide, qui habent ſenſus exercitatos ad dijudicationem boni & mali, *Heb. 5. 12.* Malo ego τελείους ſumere, quoſvis verè fideles, quorum pietas ſincera minimèque fucata eſt. q. d. *Paulus*, fieri poteſt, vt non ſeculi hujus ſapientibus tantùm, ſed & profeſſione tenus Chriſtianis, ſtulta videatur & materia, & forma prædicationis noſtræ; quòd ſi perfectos id eſt, ſinceræ fidei Chriſtianos conſulas, qui præter μόρφωσιν εὐσεβείας, ejus etiam δύναμιν experti ſunt; hoſce audies ſapientiam prædicationis noſtræ palàm prædicantes. Sic ferè Theologi perfectionem Evangelicam ſinceritate definiunt. σοφίαν Duplicem facit *Paulus*, primam verborum; quam oſtentabant *Pſeudapoſtoli*; alteram rerum, quâ pollebant Apoſtoli.

Ver. 7. τὴν προωρισεν ὁ Θεὸς.] Sapientiam hîc intellige, ſapientiſſimum illud Dei Conſilium de ſalvandis electis per Chriſtum: hoc Conſilium Deus dicitur prædeſtinâſſe, ſcilicet, quoad executionem.

Ver. 8. οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων.] id eſt, ferè nemo; cognovit enim *Nicodemus*: ἄρχοντες intellige præcipuè Primores populi Iudaici; id enim ſequentia proximè videntur poſtulare.

Ver. 10. τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐρᾷ, &c.] ἐρᾷν metonymicè, pro cognoſcere ſive perſpectum habere: ſunt qui hoc cauſativè intelligunt dici; ſcrutatur, id eſt, ad ſcrutandum irritat; ſicuti poſtulare dicitur, *Rom.* 8. 26. quòd nos ad poſtulandum impellat. Denique, *Beza* ſpiritum, afflatum ſpiritus & vim ejus in nobis ſumi poſſe autumat, ac tùm propriè accipi τὸ ἐρᾷν. eum vide. ſed primam expoſitionem maximè probo, vtpotè quam video *Theophylacto* probari: eum conſule doctiſsimè hunc locum interpretantem.

Ver. 13. ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις.] vide *ver.* 4. ſignificat ſe non artificio humano verba accuratiùs quàm par erat ſectatum eſſe, ſed ea qualiacunque adhibuiſſe in myſterijs ſalutis deprædicandis, quæ Spiritus Sanctus ſuppeditaret. πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες πνευματικὰ intellige quæ à ſpiritu proficiſcuntur. συγκρίνειν adaptare ſignificat, & adhibito judicio ita connectere, vt omnia quàm aptiſsimè inter ſe conveniant. Vult dicere *Paulus*, ſe verba rebus accommodâſſe, & ſpiritualem doctrinam, ſpirituali docendi genere, propoſuiſſe, ita complens

quod

quod *Petrus* mandat, 1 *Pet.* 4. 11.

Ver. 14. ψυχικὸς ὁ ἄνθρωπος.] Hunc *Judas* definit *epist. ver.* 19. πνεῦμα μὴ ἔχοντα, hominem scilicet in puris suis naturalibus, vt loquuntur. Consule *Bezam* ex *Chrysostomo* τὸν ψυχικὸν istum describentem. ὃ δέχεται. Hoc ego de Approbatione intelligo; illud enim quandoque τὸ δέχεσθαι significat, viz. ita admittere vt nos ea admittimus quæ approbamus. καὶ οὐ δύναται γνῶναι, majus quiddam dicit; non modò non admittit, sed ne cognoscit quidem, aut intelligit. πνευματικῶς. id est, vi & afflatu solius Spiritus Sancti.

Ver. 15. ὁ δὲ πνευματικὸς.] id est, regenitus per Spiritum Sanctum; opponitur ψυχικῷ ἀνακρίνει non ineptè hîc per διακρίνειν, interpretari potes, vide *Heb.* 5. 14. αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται. ἀνακρίνεσθαι hîc sume pro simplici κρίνεσθαι, vt 1 *Cor.* 4. 3, 4. ac judicari, pro convinci accipe, quod ex judicando consequitur; convinci pro redargui; vt *Chrysostomus* & *Theophylactus*. vt sensus sit; spiritualis à nemine animali homine erroris convinci potest in judicandis rebus spiritualibus.

Ver. 16. ὃς συμβιβάσει αὐτὸν.] sensus est, nemo nisi spiritualis mentem sive sensum Domini tenet, ita vt possit αὐτὸν, id est, spiritualem συμβιβάζειν, id est, convincere erroris, & sic convictum in suam sententiam adductis argumentis inducere; ergò, nemo potest spiritualem hominem ἀνακρίνειν. Συμβιβάζειν significat efficere condescensionem, id est, argumentis propositis efficere vt aliquis tecum in eandem sententiam condescendat.

THESIS

THESIS *vnica.*

FIlij Dei efficaciter vocati scire possunt quæ sibi à Deo sunt donata, sive gratiam in præsenti, sive gloriam in futuro. Probatur: Quibus Dei spiritus revelat, τὰ χαρισθέντα αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ij certò scire possunt quæ Deus ipsis donat, & donaturus est: At filijs Dei revelat Spiritus τὰ χαρισθέντα αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. Ergò, illi hæc possunt cognoscere. Propositio probatur, *ver.* 10, 11. Si Spiritus Dei certò sciat quæ Deus vel actu donavit, vel decrevit donare electis suis, tùm quibus ille hæc revelat, ij certò cognoscere possunt: At Spiritus certò scit omnia etiam τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ. Ergò. Probatur minor à pari, *ver.* 11. Assumptio principalis probatur *ver.* 12. Si hoc fine donatur Spiritus electis vt hæc cognoscant, tùm Spiritus hæc revelat; nam exequitur Spiritus voluntatem donantis: At hoc fine donatur Spiritus electis. *ver.* 12. Ergò.

Finis CAPITIS SECVNDI.

CAP.

Cap. III.

Ver. 1. καὶ ἐγὼ ἀδελφοὶ, &c. παίλησις hîc eſt ex toto capite ſuperiori enata. hoc modo; dixeras te ſcientiam & ſapientiam loqui & poſſe & ſolere, quî fit ergò vt nobis ita rudi (quod aiunt) *Minervâ* loquutus ſis? Reſp. 1. Conceſſione, *ver.* 2. verum eſt quod dicitis, me vos rudimenta tantùm fidei docuiſſe; id quod eleganti Metaphorâ lactis & ſolìdioris cibi enunciat, *ver.* 2. 2 Rationem facti ſi quæratis, hanc ſumite ex præſenti conditione veſtrâ, *ver.* 1. Carnalibus & infantibus in Chriſto lac præbendum, non βρῶμα; At vos Carnales eſtis; Ergò, lac vobis præbendum: Propoſitionis probatio eſt, *ver.* 2. ἔτι γὰρ ἐδύνασθε, hoc modo: Qui ſolidiori cibo concoquendo non ſufficiunt, ijs lac præbendum, At Carnales ſolidiori cibo non ſufficiunt, Ergò.

Aſſumptio Principalis ſyllogiſmi eſt ex effectis tanquam ſignis, *ver.* 3. Inter quos ſunt ζῆλος, ἔρις, &c. illi ſunt Carnales; Hæc enim Carnis ſunt fructus, *Gal.* 5. 19, 20. At inter vos ſunt iſta, *ver.* 3. Ergò. Aſſumptio probatur; qui certos ſibi Magiſtros adoptant, ex quorum authoritate pendeant, apud eos ſunt ζῆλος, ἔριδες, &c. At vos certos vobiſmet ſeligitis Magiſtros, Ergò Aſſumptio eſt *ver.* 4. *mimeſi* Rhetoricâ, & ἀναγνώσει expreſſa.

Ver. 5. Redit ad redargutionem Principalem,

ver. 12. *cap.* 1. propositam. τίς οὖν ἐστὶ Παῦλος; &c. Argumentum contrà partium studium sic habet. Qui sunt Ministri tantùm per quos fidem adepti estis, ab ijs quidem tanquam Magistris aut authoribus fidei pendere non debetis; At nos Ministri tantùm sumus fidei vestræ; Ergò, A nobis pendere nefas. Assumptio amplificatur ἀνακαινώσει Rhetoricâ, *ver.* 5. Propositionis probatio est, *ver.* 6, 7. qui ex se nihil sunt, & quicquid sunt, à Deo donatum habent, ab iis pendere non debetis; At Ministri nihil sunt ex se, & quicquid sunt, acceperunt à Deo. Ergò, &c. Assumptio probatur amplificata prolepsi. *Ob.* imò aliquid estis, nam tu plantâsti, *Apollo* rigavit? *Sub.* Et tamen nihil sumus ex nobis; nam quicquid est efficaciæ & incrementi, ex Deo est, *ver.* 7.

Ver. 8. Argumentum pro Concordia contrà schismata secundum est. Hoc modo: si Ministri vnum sint, Ergò & populus vnitati studere debet, At Ministri vnum sunt. Ergò. Assumptio est *ver.* 8. ejus Probatio *ver.* 9. sic: Dei συνεργοὶ vnum sunt; Ministri omnes, sive plantent illi, sive rigent, Θεοῦ συνεργοὶ sunt. Ergò. Propositio probatur ex loco Relatorum, *ver.* 9. Θεοῦ γεώργιον, Θεοῦ οἰκοδομή ἐστε, &c. Assumptionem propositam, *ver.* 8. insuper illustrat à diversis, προληπτικῶς: vnum sunt; quod sic intelligi velim, vt ad opus commune referatur, nam labor non vnus omnium, vt nec merces; quoad gradum intellige: Id quod ampliùs adhuc declarat, *ver.* 10. se enim Architectum fundamentum jecisse scribit; alios vt fabricæ Ministros super-ædificare.

In

In fine *ver.* 10. Monitio ſive Cautela quædam eſt, ex *ver.* 8. & decimo illata : Caveat quiſque quo is modo ſuper-ædificat ; Hanc hortationem primò explicat, *ver.* 11. 2 Urget Rationibus, *ver.* 12. &c. explicat ἀναλυτικῶς, *ver.* 11. q. d. ac de [ſuper-ædificando] ideò moneo, quòd fundamentum jamdudum à me jactum eſt, quod ſolum retinendum ; eſt autem Jeſus Chriſtus. Hactenus explicatio. Ratio prima urgens monitionem, eſt *ver.* 13. Hoc modo : Si cujuſque opus manifeſtum fiet, tùm cuique cavendum quo modo ſuper-ædificet ; At cujuſque opus manifeſtum fiet, *ver.* 13. Ergò, Cavendum cuique. Aſſumptionis partes ſive termini notabiles duo imprimis ſunt. [Cujuſque opus] & [manifeſtabitur] de primo probatio eſt, *ver.* 12. ex inductione ſpecierum ; eſt enim opus cujuſque aut aurum, argentum, aut lignum, fœnum, ſtipula, &c. At utrumque hoc opus manifeſtum fiet : Ergò, Cujuſque opus manifeſtabitur. De 2, [manifeſtabitur] probatio eſt reliquâ parte, *ver.* 13. Quod dies manifeſtabit, id manifeſtabitur ; At dies cujuſque opus manifeſtabit. Ergò, manifeſtabitur. Probatur minor ; quod cum igne revelatur, id eſt, lucem ſuam affert, id manifeſtabit opus cujuſque, At Dies ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται : Ergò. Probatur major : Si ignis quale ſit cujuſque opus manifeſtet, tùm quod lucem ſive ignem ſecum affert, manifeſtabit opus cujuſque ; At ignis quale ſit cujuſque opus exploratum facit : Ergò. Probatur minor, *ver.* 15. nam bonum manet, levius igne conſumitur. Ubi etiam

novum eſt Argumentum pro concluſione principali ab eventis: ſi qui ſolida ſuperſtruxerit, mercedem accepturus eſt; qui levia, damnum paſſurus, tùm cuique cavendum quomodo ſuperſtruat fundamentum; At qui ſolida ſuperſtruet, præmium; qui ſecùs, damnum accipiet: Ergò, Cavendum. Aſſumptionis partem poſteriorem amplificat ex loco diverſorum παρεπομένων exponens damnum illud Negativè: q. d. Damnum intellige, non ſalutis ipſius perſonæ; ipſe enim σωθήσεται, licèt ὡς διὰ πυρός, ſed alterius cujuſpiam rei, fortaſſè laboris ſui.

Ver. 16. Tertium adhuc argumentum Cautelæ eſt; A Periculo. Qui in templo Dei extruendo deſudant, ijs cavendum, quomodo ſuperſtruant huic fundamento; At Miniſtri veſtri in templo Dei ædificando deſudant. Ergò. Aſſumptionem probat. Qui in vobis ædificandis laborant, in templo Dei extruendo deſudant. Nam vos templum Dei eſtis; Cùm in vobis habitet Spiritus Dei: At Miniſtri veſtri in vobis ædificandis laborant: Ergò. Hæc *ver.* 16.

Hujus tertii argumenti propoſitio principalis probatur, *ver.* 17. Si Deus corrumpentem templum ſuum corrumpet, tùm ſtructori cuique cavendum: Atqui Deus deſtruet eum quicunque templum ſuum corrumpet: Ergò. Aſſumptionem probat. Qui ſacra polluit, eum perdet Deus; At templum Dei ſanctum, *ver.* 17. Ergò, qui illud polluit, eum perdet Deus.

Ver. 18. Repetitur Hortatio Principalis ex *ver.* 10.

10. alijs verbis προληπτικῶς, Hoc modo: *Ob.* At nos prudentes ſatis ad hujus mali cautelam? *Sub.* Nemo ſemetipſum ſeducat: Sapientia ſcilicet eſt duplex, prima Sæcularis, ſive Mundana; huic valedicendum: 2 Divina, in hanc incumbendum, *ver.* 18, 19. Ac renuntiandum ſæculari prudentiæ, duplici probat argumento; ex loco cauſæ finalis; primò, vt ſint verè ſapientes; ſecundò, quòd ſapientiam ſæcularem aboleat Deus; id quod duplici probat teſtimonio, *ver.* 19. 20.

Ver. 21. Admonitio eſt ad populum, ne doctoribus ſuis addicti ſint nimis: Ratio duplex: prima, qui veſtri ſunt, id eſt, veſtris vſibus deſtinati, iis tanquam fidei Magiſtris addicti eſſe nequaquam debetis; At Doctores veſtri, veſtri ſunt: Ergò. Minor probatur, *ver.* 22. A genere: omnia veſtra ſunt: Ergò, & Doctores. Secunda, Qui ſunt Chriſti, non debent hominibus adhærere; vos Chriſti eſtis: Ergò, Hominibus addicti eſſe nequaquam debetis. Major amplificatur per ἐπισύναψιν, &c.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. οὐκ ἠδυνήθην.] ſcilicet Iure, vel commodè. πνευματικοῖς.] πνευματικοὺς dicit quos ſuprà, *cap.* 2. 6. Perfectos dixerat, homines ſcilicet adultos in pietate: quod liquet ex antitheſi Carnalium, quos ipſe interpretatur, non vt alibi merè Naturales, *Rom.* 8. 8. ſed infantes in Chriſto, quos alibi νεωφυτοὺς vocat,

1. *Tim.* 3. 6. Confer, *Heb.* 5. 12, 13, 14.

Ver. 2. Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα.] Lac, intellige simpliciorem quandam doctrinam; seu mavis, eandem doctrinam, quod ad substantiam attinet, sed simpliciorum captui accommodatam: lac enim & solidus cibus re quidem eadem sunt, sed tradendi modo & formâ differunt. *Beza.*

Ver. 3. Σαρκικοί ἐστε.] Carnales vocat non simpliciter Spiritu destitutos, sed in quibus Caro prævalet & prædominatur vt in Composito, &c.

Ver. 8. Ἓν εἰσιν.] scilicet, & munere, & opere, & & scopo. Ergo, malè fecerunt qui Ministris Ministros opponerent.

Ver. 9. Θεοῦ συνεργοί.] scilicet Instrumentales.

Ver. 10. Κατὰ τὴν χάριν.] docendi facultatem intelligit, 2 *Tim.* 1. 6.

Ver. 12. Χρυσὸν, ἄργυρον, λίθους, τιμίους.] solidam intellige Evangelii doctrinam. ξύλα, χόρτον, καλάμην, id est, vanas & curiosas argutias, quales sectabantur Corynthiacæ Ecclesiæ Doctores.

Ver. 13. Ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει.] Expositiones varias vide apud *Bellarminum, de Purgat. lib.* 1. *cap.* 6. *Bezam, Iunium* in Animadversionib. Bellarminianis loco prædicto. Diem ego simpliciter interpretor, Temporis longinquitatem: veritas siquidem temporis filia. Ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται: Hoc [ἀποκαλύπτεται] retulimus in Analysi ad diem ipsum: si quis mavult ad opus referre, idem manebit sensus sic: nam Ignem, id est, lucem secum affert dies: lux autem quale sit cujusque opus manifestat. Ergò, Dies cujusque

juſque opus δηλώσει, mediante ſcilicet luce ſuâ. τὸ τοῦ δηλώσει : Ignem *Calvinus* & alij intelligunt Spiritum Dei ; Ego lucem veritatis per Spiritum Sanctum in Eccleſiâ accenſam.

Ver. 14. εἴ τινος τὸ ἔργον.] opus intellige doctrinam Miniſtri cujuſque : De hâc enim hîc ſermo.

Ver. 15. ζημιωθήσεται.] Jacturam ſive detrimentum intellige laboris ſui, vt & famæ, quam ipſe ſibi per argutias conquirere geſtiebat, αὐτὸς δὲ σωθήσεται : περιπτικῶς. Quæri enim poterat, Si opus rejicitur tanquam inane, operario quid fiet miſero? num & ipſe peribit? Reſp. Minimè ; ipſe ſalvabitur. ὅπως δὲ ὡς διὰ πυρός : id eſt, beneficio lucis ; quâ fit vt ipſe errorem & agnoſcat, & revocet. Totum hunc locum trahunt Pontificii ad ignem Purgatorium accendendum : quàm id verè & aptè, vide *Bezam*, *Piſcatorem*, *Fulconem*, &c. ad locum : *Wottonum*, *Sclaterum*, in reſponſione ad ſophiſmata *Thomæ Wright*.

Ver. 17. εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει.] ſcilicet corruptâ ſive minùs ſolidâ doctrinâ.

Ver. 18. ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ.] ſapientiam intelligit Carnalem, Mundanam, Diabolicam, *Iac.* 3. 14, 15. vtpotè quam Mundus magni æſtimat, licèt â Deo minimè profectam.

Ver. 21. μηδεὶς καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις.] ſcilicet, in eo quòd ipſi ſint Hominum, ſive *Pauli*, ſive *Petri*, ſive *Franciſci* Diſcipuli.

THESIS

THESIS *hic vnica principalis.*

Ver. 10. Cuique cavendum quid, & quo modo doceat, *ver.* 10.

Ratio triplex, 1 Opus revelabitur, *ver.* 13.

2 Malè structa mulctabuntur; benè, præmiabuntur, *ver.* 15.

3 Sacrilega est omnis doctrina impura; sacrilegos autem omnes puniet Deus. *ver.* 17. Ergò.

Finis CAPITIS TERTII.

CAP. IV.

Cap. IV.

DE ſe jam incipit diſſerere *Paulus*, & quo ipſe loco & debeat, & cupiat haberi apud *Corinthios* declarat; non vt Magiſter, ſive Dominus fidei; ſed vt Miniſter, & is quidem fidelis (quæ laus eſt œconomi præcipua & propria,) *ver.* 1, 2. Miniſterium autem ſuum declarat, 1 ex correlato ſuo, ſive objecto in quod fertur; ſcilicet Chriſto. 2 Genere; eſt enim οἰκόνομος, quæ ipſa οἰκονομία materiâ ſuâ declaratur; myſteriis ſcilicet divinis; tùm adjuncto œconomorum officio, Fide, *ver.* 2.

Ver. 3. Quid ſit illorum de ſe Judicium obliquè ſignificat; ſic enim illi *Paulum* vt Miniſtrum quidem æſtimabant; ſed ejuſmodi qui cum diſertis illis eloquentiæ Magiſtris nequaquam ſit conferendus: Ad hæc *Paulus*; Mihi, inquit, pro minimo eſt quòd à vobis dijudicer, &c. Ratio triplex, 1 Humana judicia minimè moranda; veſtra ſunt Humana. Ergò. 2 A majori, Ego, inquit, qui mihi magis ſum notus, quàm vobis, non audeo de me ſtatuere quanti ſim æſtimandus; Ergò vos multò minùs hoc ſtatuere vel poteſtis, vel debetis: Antecedens illuſtratur Antitheſi diverſorum; vbi συγκρίσεως affignat rationem, cur ipſe ſe non dijudicat, quia etſi ipſe ſibi non ſit conſcius aut negligentiæ aut perfi-

diæ in miniſterio defungendo, tamen aliam ſibi juſtitiam coram Deo neceſſariam eſſe ſciebat, & fortaſſe ipſe ignarus aliquid in miniſterio perperam aut commiſerat, aut omiſerat. 3 Dei illud proprium eſt, quanti quiſque ſit judicare : Ergò non veſtrûm ; Ratio eſt, quia is ſolus τὰ κρυπτὰ Cordium dignoſcat : Hæc *ver.* 4. 5. vbi dehortans ab hujuſmodi judicandi alios temeritate, ſimul quartum annectit argumentum dehortationis ex temporis Conditione : ſic : Qui ſecreta cordium non cognoſcunt, de dignitate Miniſtrorum nequaquam pronunciare debent. Ratio, quia dignitas non ſimpliciter ex opere, ſed ex animo operantis metienda eſt ; At vos ſecreta cordium non cognoſcitis : Ergò. Aſſumptio probatur ; quia Deus nondum manifeſtavit, nec verò manifeſtaturus eſt, vſquedum ipſe ad Judicium venerit.

Ver. 6. Hortatio eſt ad Modeſtiam, & τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται φρονεῖν. Cujus Ratio triplex : prima, Exemplum *Pauli* ; Ego, inquit, aliorum dedecus in me ſuſcepi ; tantum abeſt vt ex aliorum vituperio ſibi pietatis laudem acquirere conatus ſit : Ergò, nolite vos inflari, &c. 2 Qui eodem ſunt cum aliis loco, ſive humanitatis, ſive muneris rationem habeas, eos modeſtè ſe gerere oportet ; At vos hujuſmodi : Ergò. 3 Qui nihil habent ex ſe, ſed ab alio acceptum, ii modeſtè ſe gerere debent ; vos nihil habetis niſi ab alio acceptum, *ver.* 7. Ergò. Aſſumptio amplificatur ἀναπαύσει Rhetoricâ, &c.

Ver. 8. Graviſſima eſt ſuperbiæ & oſtentationis

Corin-

Corinthiorum reprehenſio ironicâ conceſſione propoſita; Probaverat *Paulus* priùs non eſſe gloriandum; eò quòd nihil haberent non acceptum: Ad hæc ſic poterant illi excipere: etſi nihil habeamus niſi aliundè acceptum, gloriandi tamen materiam habemus, eò quòd plenam ſumus gratiæ cœleſtis ſaturitatem adepti, & jam regnamus. &c. *Reſp.* 1 Conceſſione Ironicâ. 2 Correctione ſeriâ, *ver.* 8. exclamatione optativâ expreſſâ; vbi confutatio eſt opinionis ſive confidentiæ iſtius vanæ. Argumentum eſt à pari: Si vos ſaturi eſtis, ſi vos regnatis, tùm & nos certè regnaremus, id eſt, & gratiæ plenitudine, & gloriæ ſaltem initiis frueremur; At nos nondum regnamus: Ergò, nec vos. Aſſumptio probatur; qui irriſioni & probris adeò expoſiti ſunt; qui vndique miſeriis circumſidentur, &c. nequaquam regnant, id eſt, fœlicitatem cœleſtem plenam adepti ſunt; At nos hoc ſtatu ſumus: Ergo. Aſſumptio eſt *ver.* 9, 10, 11, 12, 13.

Ver. 14. παίνεσις eſt ad devitandum odij ſive malevolentiæ crimen, quod ex gravi hoc reprehenſionis modo oriri poterat. Crimen autem hoc avertit diſtinctione duplici: 1 Quod movere ſe dicit, non reprehendere. 2 Quatenùs ex amore paterno proficiſci hoc quicquid eſt quod dixit, pronunciat; eos enim ſe pro filiis habere teſtatus eſt.

Ver. 15. Alterâ adhuc παίνεσις docet, cùm eos filios ſuos habeat; Ratione è loco Relatorum. Si ego pater veſter, tùm vos filii mei: At ego pater, ergò. Aſſumptio primò illuſtratur antitheſi diver-

ſorum προληπτικῶς, etſi alii pædagogi, ego tamen ſolus pater. 2, Probatur ex proprio effectu patris; qui vos genuit, is pater eſt veſter: At ego vos genui, ergò. Aſſumptio eſt *ver.* 15. vbi & modus generationis, ſcilicet, ſpiritualis (in Chriſto) & inſtrumentum (εὐαγγέλιον) proponitur.

Ver. 16. Corollarium deducit ex aſſeverato paternitatis Jure, ad ſtabiliendum primum illud Modeſtiæ Argumentum, *ver.* 6. ſcilicet, ex ſuo ipſius exemplo ductum. q.d. Ac meritò vobis exemplum ego meum propono, quia pater ego ſum, vos filii; filiorum autem officium ſit, præclaris patrum veſtigiis inſiſtere. Habet itaque verſus 17 hortationem ad imitationem *Pauli* tanquam patris, *ver.* 15. prolepſis eſt: At quî id poſſumus, cùm exemplar hoc nobis ob oculos non verſetur, vt par eſt? *Reſp.* Vias meas *Timotheus* vos docebit; vbi & *Timotheum* deſcribit, 1 ex relatis, quia filius *Pauli* dilectus; 2 ex adjunctâ fide miniſterio: & vias explicat quas intelligit; vias ſcilicet in Chriſto, generatim; ſpecialiùs, vias docendi: 2 & ipſe ſe venturum brevi promittit, vt oculis videant quod imitentur: Ac promiſſi adventus explicat, 1 occaſionem, ſcilicet tumorem quorundam ex eo enatum quòd *Paulum* non ampliùs venturum ſperârant. 2 Tempus [Brevi.] 3 Conditionem, Si Deus voluerit. 4 Finem, vt cognoſcat. quid? Si quæras, *Reſp.* κατ' ἄρσιν, καὶ θέσιν declarat: non verba, ſed virtutem inflatorum; cujus ratio aſſignatur, *ver.* 20. 5 Modum iis communicat deliberandum, atque decernendum; vtrum

ſcilicet

ſcilicet cum virga, an cum ſpiritu leni venire eum velint, *ver.* 21.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 2. ἵνα πρός τι ἀρεθῇ.] Fides hæc in eo præcipuè elucere debet, inquit *Theophylactus*, ne illa quæ Domini ſunt faciat ſua ; neve vt eadem illa ſicut Dominus pertractet, ſed vt à Domino poſſeſſa diſpenſet : dein vt nihil detineat, *Act.* 20. 20. 27. nec porcis communicet ſacra, *Math.* 7. 6.

Ver. 3. ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας.] Dies pro Judicio ponitur ex Cilicum idiotiſmo, vt *Hieronymo* placet: Metonymia eſt adjuncti ; nam Judiciorum certi ſunt dies : Judicia autem humana appellat ea, quæ ex affectibus humanis proficiſcuntur. ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυτὸν ἀνακρίνω : ſcilicet quod ad dignitatem attinet, q. d. quanti ſim, vel non ſim, ego nequaquam diſquiro aut dijudico : eſt igitur hoc *Pauli* dictum ad certam hypotheſin reſtringendum.

Ver. 4. οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα.] Eſt & hoc ad certam hypotheſin reſtringendum ; nam ſi ſimpliciter & vniverſim accipias ; ſibi ipſe contrarius erit : Confer *Rom.* 7. 19. 23. 24. limitandum eſt igitur ad Apoſtolatûs ſui functionem, quâ de hîc agitur ; ſynecdoche generis ; nullius ; ſcilicet, vel negligentiæ, vel malæ fidei in miniſterio defungendo. ὁ δὲ ἀνακρίνων με Κύριός ἐστι.] ſcilicet, Ratione dignitatis, ſive valoris mei : id quod inde liquet, quòd

laudem veram Judicium vltimum sequuturam pronunciat, *ver.* 5.

Ver. 6. ταῦτα δέ.] quæ scilicet de ambitione, ostentatione que doctorum Ecclesiæ vestræ dixi, μετεσχημάτισα, id est, figurâ quadam transtuli: quatenus eorum vitia in me suscepi, superpressis eorum nominibus: Itaque *Syrus* sic legit: proposui in personâ meâ, & *Apollo*, εἰς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς κατὰ τοῦ ἑτέρου. ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς, id est, causâ vnius, vel in gratiam vnius, scilicet, Doctoris; superbè vos geratis contra alium.

Ver. 7. τίς γὰρ σε διακρίνει,] q.d. Nemo discernit sive segregat à communi vel hominum conditione, vel ministrorum sorte. Vide *Bezam*. Pares siquidem omnes sumus vtroque hoc respectu.

Ver. 8. ἤδη κεκορεσμένοι ἐστέ.] donis scilicet spiritualibus; gravissimâ ironiâ horum insignem arrogantiam corripiens. ἤδη, ἐμφατικὸν est ἐβασιλεύσατε: hoc est, jamdudum plenam de peccato victoriam, plenam donorum spiritualium copiam, &c. Denique fœlicitatem cœlestem, & regnum adeptos esse vos somniatis. χωρὶς ἡμῶν, id est, sine ope nostra, vel etiam sine nostro consortio.

Ver. 9. Ἀποστόλους ἐσχάτους:] sunt qui *Paulum* hæc de se solo loqui putant, eò quòd ipse ultimus ad Apostolatum vocatus fuerat: sunt qui cæteros Apostolos 12 sibi hic adjungere *Paulum* autumant. Ego hoc extendi malo ad omnes in vniversum Christi Ministros, quos ipse quandoque Apostolos vocat, *Rom.* 16. 7. 2 *Cor.* 8. 23. Nam & hæc communis est omnium Ministrorum Christi conditio, & hujus commu-

communis conditionis ratio ad elatos *Corinthiorum* Doctorum ſpiritus deprimendos (ad quod hîc collimat *Paulus*) imprimis eſt apta; ſic, Vos ſaturi, beati, Reges, &c. At Miniſtri Chriſti, miſeri, inſœlices, &c. ἀπέδειξεν, id eſt, ſpectandos propoſuit; quemadmodum ſcil. in conſpectum hominum producuntur, qui ad beſtias damnati ſunt. ἐπιθανατίους, id eſt, Morti addictos: Alludit *Paulus* ad crudeliſſimam illam inter *Romanos* uſurpatam Chriſtianorum lanienam: vide *Bezam*. Hoc mortis genere occubuit *Ignatius*.

Ver. 13. ὡς περικαθάρματα.] Alludit ad illud *Ieremiæ Lam.* 3. 45.

Ver. 19. ἀλλὰ τὴν δύναμιν.] de hac vide σχόλια in *cap.* 2. *ver.* 4 δύναμιν enim hîc intelligo δυνάμεως illam, & ἐνέργειαν in docendo, quæ in veris Chriſti Miniſtris cernitur.

Ver. 20 ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.] id eſt, Regni cœleſtis in Eccleſia adminiſtratio. Senſus eſt; Deus regnum ſuum procurat atque adminiſtrat in cordibus ſuorum, non per eloquentiam humanam, ſed per potentiam ſuam, Miniſtrorum ſuorum ſimplicitatem comitantem: Itaque Miniſtros ſuos non tam eloquentiâ ſæculari imbuit, quàm potenti quodam dicendi genere, quô ad animorum abditos ſenſus & conſcientias penetrent; atque ita homines ſubigant ditioni Chriſti. Aliter: Deus regnum ſuum nec obtinet nec exercet per eloquentiam humanam, ſed per potentiam divinam in ſimplicitate ſermonis ſeſe exercentem.

Ver. 21.

Ver. 21. ἐν ῥάβδῳ, &c. ἢ ἐν ἀγάπῃ.] Num igitur cum amore non venit, qui cum virgâ venit? *Reſp.* Maximè. Confer *Levit.* 19. 17. virga duplex; Paterna alia, alia herilis: illa cum amore optimè cohæret; licèt filio delinquenti aliter videatur.

THESES *duæ.*

Prima. Judicia humana nihili facienda, *ver.* 3. vide Rationes in Analyſi.

Secunda. Modeſtè & humiliter de ſe quiſque ſentire debet. *ver.* 6. Rationes vide in Analyſi.

FINIS *Capitis quarti.*

CAP. V.

Cap. V.

VErſu ultimo capitis quarti optionem illis fecerat, electionemquè vel ſeveritatis, vel lenitatis: Hoc capite cauſam ſeveritatis memoratæ aſſignat hanc; tolerantiam ſcilicet hominis inceſti. Hoc crimen amplificat, 1 ex fama (ὅλως ἀκούεται) 2 ex gravitate declaratâ collatione imparium (καὶ πανταχοῦ, &c.) 3 ex incuria ſumma quam explicat collatione imparium: nam non modò non luxerunt ut tolleretur, ſed & inflati ſunt. Hæc *ver.* 1. 2.

Ver. 3. Ipſe ſententiam excommunicationis pronunciat; cujus & cauſam moventem innuit, eorum negligentiam; ἐγὼ μὲν γάρ: q. d. Cur vos in officio veſtro adeò negligentes fuiſtis? ego authoritate mihi commiſſâ eum excommunicetis denuncio. Cujus quidem ſententiæ primò exequendæ modum præſcribit; ut ſcilicet in unum conveniant ex mandato Chriſti. 2 Efficaciam (σὺν δυνάμει.) 3 Formam (παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον.) 4 Finem duplicem, 1 Carnis interitum. 2 Spiritus ſalutem, *ver.* 3.4.5.

Ver. 6. Gloriationem de excellentia ſua (quâ de ſuprà) taxans obliquè ejectionem inceſti ſuadet. Ratio prima, à periculo infectionis quam ſimilitudine fermenti declarat, *ver.* 6. 2 Alluſione ad

Paſcha Veteris Teſtamenti : Tota vita totius Eccleſiæ Chriſtianæ immunis ab omni ſceleris contagione & participatione eſſe debet : Ergò, Inceſtus ejiciendus : Antecedens probatur ; In veteri typo Agni Paſchalis nullum fermentum in toto populo Iſraëlitico reperiebatur poſt mactatum Agnum ; Ergò, poſt crucifixum & mactatum Chriſtum Agnum noſtrum, ne unus quidem maleficus, nulla nequitia in tota Eccleſia reperiri debet; & per conſequens fermentum hoc purgandum, id eſt, Inceſtus ille ejiciendus : Hæc *ver.* 7. 8. 9. Ratio fundatur in ea, quæ debet eſſe veritati cum typo, convenientiâ.

Ver. 9. Subjectum excommunicationis quod ſit declarat. viz. illi qui Eccleſiæ, ſaltem profeſſione tenùs, membra ſunt, non extranei. Quod ideo facit, quòd epiſtolâ quâdam ad eos miſſâ, de vitando ſceleratorum conſortio ſcripſerat : Hoc mandatum ſuum ipſe explicat, ſceleratos diſtinguens hoc modo : Scelerati, inquit, alii ſunt mundi hujus, id eſt, ex mundo ; alii Eccleſiæ, id eſt, Eccleſiæ viſibilis membra viſibilia : Mandatum, inquit, hoc meum non de primis illis intelligendum, ſed de ſecundis hiſce : Ratio duplex, cur ad ſceleratos non extendat ; 1 quia tùm impoſſibilis eſſet obedientia, *ver.* 10. eò quòd in mundo ſimul omnes degimus. 2 Quia in eos nec ipſe, nec Eccleſia jus habeat aliquod, *ver.* 12. ſed ſolus Deus : Ergò de fratribus, inquit, hoc eſt, Eccleſiæ membris hoc intelligit ; ſint hi vobis ut Ethnici, ſive publicani,

ver.

ver. 11. ubi novum eſt Argumentum pro ejiciendo Inceſto: Frater quiſque inceſtuoſus è ſocietate veſtra ejiciendus; At πορνὸς iſte frater eſt; Ergò, eum tollite è medio veſtrûm: *ver.* 13.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. ὅλως.] id eſt, paſſim in tota Achaia.

Ver. 2. ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐστὲ.] ſcilicet, ut *Theophylacto* placet, de doctrina ſive eloquentia iſtius fornicantis. Malo ego ſuperbiæ hujus & timoris cauſam dicere præſtantiam donorum ſpiritualium. q. d. adeò eſtis ſpiritualibus donis veſtris oſtentandis intenti, ut quæ officii ſunt veſtri planè negligatis. ἐξαρθῇ ἐκ μέσου ὑμῶν: ineptiunt illi qui pœnam capitalem hîc intelligi volunt; id enim ſolùm volebat *Paulus* ut è cœtu Eccleſiaſtico exterminetur; Confer *ver.* 5. & 13.

Ver. 3. παρὼν τῇ πνὶ πράγματι.] id eſt, animo, cogitatione, voluntate, κέκρικα, id eſt, apud me decrevi, ideoque concluſi: ὕτω, id eſt, tàm impudenter, & nefariè.

Ver. 4. ἐν τῷ ὀνόματι τῦ Κυρίου.] id eſt, vel ex mandato Chriſti, vel authoritate Chriſti: ut *Act.* 3. 6. *Mat.* 7. 22. *Luc.* 24. 47. vel in Dei gloriam, *Col.* 3. 17. σὺν τῷ ὀνόματι: Hoc ego ad conventum Eccleſiæ refero, cui *Corinthii* corpore, *Paulus* ſpiritu, Chriſtus virtute & efficaciâ intereſſe dicitur.

Ver. 5. παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ.] Hoc illud eſt quod

Chriſtus dicit, fieri ſicut Ethnicum, ſive publicanum, *Math.* 18. 17. id eſt, Jus Civitatis Chriſtianæ amittere uſque dùm reſipuerit. εἰς ὄλεθρον σαρκὸς: Carnem hîc intelligo corpus; ejus interitum, corporis exiccationem; non tàm ex morbo à Satana infligendo (ut *Theophyl.*) quàm ex dolore, ſpiritum ſive ſuccum vitalem exiccantem, *Prov.* 17. 22. Spiritum intellige animam per Synecdochen membri κατ' ἐξοχὴν, ut 1 *Pet.* 1. 9. Alias expoſitiones vide apud *Bezam.*

Ver. 6. οὐκ οἴδατε;] q. d. Qui de ſapientia tantoperè gloriamini, an hoc ignoratis, cujus vos ipſæ piſtrices mulierculæ admonere poſſint? ὅτι μικρὰ ζύμη, &c. Proverbialis ſententia.

Ver. 7. τὴν παλαιὰν ζύμην.] Articulus ἐμφατικὸς eſt: hoc vetus fermentum, id eſt, hunc impium & inceſtuoſum. ἵνα ἦτε νέον φύραμα, καθὼς ἐστε ἄζυμοι: Hunc impium ejici jubet, ut tota maſſa, id eſt, univerſus cœtus eccleſiaſticus novus ſit, ſicuti ſigillatim ſinguli erant puri.

Ver. 8. ὥστε ἑορτάζωμεν.] id eſt, id agamus quod veteri Paſchatis feſto præfigurabatur. vide *Bezam.*

Ver. 9. ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ.] vel hanc ipſam intellige epiſtolam, *cap.* 5. *ver.* 6. ut *Theophylactus*; vel aliam aliquam quæ jam intercidit, ut *Bezæ* placet: Ratio eſt, quia credibile non eſt *Paulum* non alias ſcripſiſſe tot annis epiſtolas, quàm quæ nunc extent. μὴ συναναμίγνυσθαι: id eſt, ne eos vobiſcum in domo Dei, aut veſtrâ conſuetudine habeatis.

Ver. 11. ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ἢ πόρνος.] ἤ, ſic enim

nim accipio cum *Beza* ex Græcorum Scholiorum fide, potiùs ut verbum, quàm ut conjunctionem. Fratrem intelligit eum, qui ſaltem profeſſione tenùs Eccleſiæ Chriſtianæ aggregatus eſt.

Ver. 13. τὸς ἔξω.] Intelligit eos qui extra Eccleſiam degunt. ὁ Θεὸς κρίνει: id eſt, extranei Dei judicio ſunt relinquendi.

Ver. 12. τὸς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε.] id eſt, judicare debetis; q. d. hoc ergò facite; exteros judicabit Deus; vos videte domi.

THESIS *unica principalis.*

FRater quiſque cum ſcandalo peccans excommunicandus: Ratio prima, Mandatum Chriſti, *ver.* 4. 2 Bonum peccantis, *ver.* 5. 3 Periculum Eccleſiæ, *ver.* 6. 4 Aliter tota Eccleſia non erit nova, *ver.* 7. Quod fieri debet, ut patet ex typo, *ver.* 7. 8.

FINIS *Capitis Quinti.*

CAP. VI.

LItigandi receptam consuetudinem apud *Corinthios*, primò redarguit, 2 curare conatur: Redargutionis partes duæ, 1 Reprehensio gravissima, *ver.* 1. 2 Confutatio. Reprehendit quòd judicio experiri velint sub injustis, scilicet, Ethnicis, potiùs quàm sub Sanctis: figuratur totus hic locus Rhetoricâ communicatione. Confutat ratione, 1 ex qualitate Judicum; apud injustos, inquit, experiendus non est, sed apud sanctos, Ethnici Judices injusti sunt, Christiani sancti. Ergò, *ver.* 1. 2 A majori ad minus, si Sancti mundum judicaturi sunt, tùm digni sunt qui de minimis istis cognoscant; At Sancti mundum judicaturi sunt; id quod probat ipsorum testimonio; οὐκ οἴδατε; &c. *ver.* 2. Ergò. 3 Iterum à majori, si Angelos judicabunt, tùm ϐιωτικὰ judicare digni sunt; At Angelos judicabunt, *ver.* 3. Ergò. Hactenùs Redargutio. Sequitur mali istius Curatio; seu potiùs Curæ Præscriptio θεραπευτικῶς. Quæretis fortassè, quid ergò faciendum incidentibus litibus? *Resp.* καθίζετε, inquit, τοὺς ἐξουθενημένους ἐν ἐκκλησίᾳ, &c. id quod comparatè intelligi debet, scilicet, potiùs quàm ut Ethnicos adeatis, *ver.* 4.

Ver. 5 ἐντροπὴν est altera: At non habemus quenquam adeò rerum peritum, qui de istis sciat statuere?

tuere? *Resp.* 1 Eò magis pudere vos debet inſcitiæ veſtræ, &c. q. d. Sapientiam jactatis neſcio quam ad ſuperbiam; an nunc ſtultitiam confitemini ultrò cùm ad lites ſedandas accedere debeatis? Hæc *ver.* 6.2. Ergò lites ne exerceatis, *ver.* 7. ſed damnum potiùs ſuſtinere aliquod eligatis. Hoc officium.

Ver. 8. Alterum jam vitium taxat in litibus exercendis; nimirum quòd injuſtè alii aliis lites intentarent, tantùm aberat ut injurias ipſi patienter ferrent. Ab hoc vitio dehortatur, 1 ex adjuncto periculo, *ver.* 9. privatione ſcilicet hæreditatis cœleſtis, id quod probat à pari comparatione aliorum vitiorum πορνικῶν, *ver.* 10. μὴ πλανᾶσθε, &c. q. d. Putatis forſan vos hæc patrare poſſe, ac nihilominùs cœlum ingredi; ne erretis, inquit, nam ſi ſcortatores, idololatræ, maſculorum concubitores, &c. cœli poſſeſſione privantur, tùm pari ratione qui fratres injuriâ afficiunt; At hujuſmodi malefici excluduntur cœlis. Ergò. *ver.* 10.

Ver. 11. πεῖλησις adhuc altera eſt: Si hiſce vitiis obnoxii cœlo excluduntur, nobis quid fiet eorum reis? *Resp.* Quod dico, inquit, ſic accipite, niſi priſtinum vitæ genus mutetur, niſi fiat liberatio, &c. At vos eratis hujuſmodi, non eſtis: Ac hujus mutati ſtatus, adeoque præſtitæ liberationis, tùm media, tùm fontē aperit: Media duo, 1 Juſtificatio, cujus Author Chriſtus; 2 Sanctificatio, cujus efficiens Spiritus Sanctus; ubi novum proponitur inſtitutæ hortationis Argumentum: Qui Chriſti gratiâ ab injuſtitiæ reatu ſunt liberi, & Spiritus Sancti virtute ejuſdem

ejuſdem dominio exempli, ii injuſtitiam cavere debent; cùm & Chriſti gratiâ id poſtulet, ut velint, & Spiritus Sancti virtus id præſtet, ut poſſint eam fugere; At vos abluti, &c. *ver.* 11. Ergò, Injuſtitiam fugite. Hactenùs prior Capitis pars, ſequitur ſecunda, de vitanda ſcortatione. Scortationem quod attinet duo hic ſunt, 1 Anticipatio Argumenti, quo ducti *Corinthii* eam ut licitam exercebant. 2 Prohibitio: Argumentum eorum ſic habet, *ver.* 12. 13. Indifferentia quævis licitè poſſunt exerceri, ſcortatio eſt ἐν τῶν ἀδιαφόρων: *Reſp.* 1. Propoſitio, inquit, ut ſit vera, duplex adhibenda cautela: 1, Si expedientiæ ratio habeatur. 2 Si is qui utitur non iis ut Dominis ſubjiciatur, ſcilicet, dum nimis illis indulget. 2 Negat aſſumptionem, *ver.* 13. 14. Cujus etiam negationis rationem affert hanc ex loco diſſimilium: Indifferentium, inquit, utpote cibi & potus ea eſt ratio, ut ipſa ex inſtituto divino neceſſariò alicui præſentis vitæ uſui inſerviant, undè & ipſis utendis inſtrumenta quædam ſua adaptavit Deus, ſicuti ventrem cibo; quæ tamen ipſa, cum inſtrumentis ſuis (ſi uſum ſpectes) demum abolebuntur, *ver.* 12. Non ſic de ſcortatione, neque enim Deus corpus ſcortationi adaptavit, ſed Domino Chriſtó; ut & Dominum corpori regendo, utendo, ſanctificando; nec verò abolebitur corpus, ſed ſuſcitabitur per virtutem divinam; Impar itaq; eſcarum & ſcortationis Ratio; ver. 13.

Sequitur dehortatio communicatione divinâ exornata: Rationes ſunt, 1 ex fine corporis; Domino

mino deſtinatum eſt, ergò, non eſt ad ſcortationem abutendum, *ver.* 14. 2 Ex dignitate corporis, ſeu mavis ex conſequenti abſurdo : membra Chriſti non ſunt facienda membra meretricis, Corpora noſtra ſunt membra Chriſti, ergò non ſunt facienda membra meretricis, & per conſequens ſcortatio fugienda, *ver.* 15. Deeſt hìc principalis ſyllogiſmus, qui ſic habet; Si ſcortando facis membrum Chriſti, membrum meretricis, tùm fugienda ſcortatio, At ſcortando facis membrum Chriſti membrum meretricis, ergò: Major patet, minor probatur. Qui facit corpus ſuum membrum meretricis, is facit membrum Chriſti membrum meretricis; At qui ſcortatur, facit corpus ſuum membrum meretricis, ergò. Major patet, quia corpora noſtra ſunt membra Chriſti, *ver.* 15. nempè vi Spiritûs ei unita, *ver.* 17. Minor probatur ex pari comparatione actûs conjugalis, *ver.* 16. Ratio tertia poſt concluſionis propoſitionem ſequitur, *ver.* 18. Si ſcortando in proprium corpus peccas, tùm vitanda ſcortatio, At ſcortando in proprium corpus delinquis, ergò. Aſſumptio eſt, *ver.* 18. amplificata comparatione aliorum peccatorum ut diſſimilium. Ratio quarta, quæ etiam proximæ aſſumptioni probandæ inſervit, *ver.* 19. Templum Spiritûs Sancti non eſt ad ſcortationem abutendum, Corpora veſtra ſunt Templa Spiritûs Sancti, *ver.* 19. Ergò. Ratio quinta. Qui Deum corpore ſuo & ſpiritu glorificare debent, ii ſcortationem debent fugere, Vos Deum corpore & ſpi-

ritu glorificare debetis, ergò. Aſſumptio probatur; Qui ſui non ſunt ſed Dei & quidem toti, ii Deum toti glorificare debent, vos Dei eſtis, non veſtri, ergò. Minor probatur, quia pretioſo ſanguine Chriſti empti, & redempti eſtis. Hæc *ver.* 19. 20.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. ἐπ' ἀδίκων. Injuſtos vocat hîc Ethnicos, tùm propter carentiam juſtitiæ imputatæ, & inhærentis; tùm quia civili illâ juſtitiâ carent, quâ ſuum cuique tribuerent; ſi modò verè rectéque illam definire velis, ita, ſcilicet, ut in praxi intueatur tùm mandatum Dei, tùm ipſius gloriam.

Ver. 2. τῶν κόσμων.] id eſt, Impios, *Ioh.* 17. 19. χριτοῦσι, ſcilicet, aſſiſtenter & approbativè, *Math.* 19. 28.

Ver. 3. Ἀγγέλους, ſcilicet, Malos.

Ver. 4. τὰ ἐξουθενημένους, &c.] Comparativè, ut dixi, intelligendum; nam mox ſubjungit, ſapientes, ſi qui ſint, huic officio deputandos, *ver.* 5. ſed ſi Juriſprudentem nullum habeant, viliſſimis quibuſque hæc permittant potiùs, quàm Ethnicorum tribunalia adeant, religionem Chriſtianam prophanis illis deridendam propinantes.

Ver. 7. ἥττημα ὑμῖν ἐστιν.] id eſt, defectus vel ſpiritus in genere carni ſuccumbentis, undè oriuntur contentiones, vel imbecillitas animi non ſuſtinentis injurias, ſed ad ulciſcendum prorumpentis.

Ver. 11.

Ver. 11. ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ.] Hebraiſmus, id eſt, per ipſum Jeſum, ſcilicet, fide cognitum: Confer *Act.* 4. 13.

Ver. 12. πάντα, ſcilicet, ἀδιάφορα. συμφέρει, ſcilicet, ἐξουσιασθήσομαι: ſic *Cicero* alicubi diſputat, ſtultos omnes ſervos eſſe, utpotè libidinum ſuarum & voluptatum mancipia. Vult dicere *Paulus*, ita utendum rebus mediis, ut iis tamen noſmet non emancipemus, quod immoderato earum uſu quandoque accidit.

Ver. 13. τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ.] Scopus eſt, ut probet ſcortationem non eſſe indifferentem, ſicuti cibum & potum, quemadmodum Epicurei ſomniabant: Ratio eſt ex manifeſtiſſimo diſcrimine, eôque triplici. 1 Eſcæ ventri deſtinatæ ſunt ex divino inſtituto, non ſic ſcortatio corpori. 2 Venter eſcis deſtinatur, non ſic corpus ſcortationi, ſed Domino. 3 Venter cum deſtinatis ſuis abolebitur; corpus cum Chriſto in æternum permanebit.

Ver. 18. ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστιν.] id eſt, ut *Piſcator* abutitur objecto extrapoſito; ut ebrioſus vino, &c. εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει; quia non ſolùm organum eſt peccati, ſed & objectum in quod delinquitur, idque multiplici reſpectu: 1 Quòd illicitâ ſeminis profuſione corporis valetudo & robur imminuitur, eſt autem valetudo honor quidam corporis, *Col.* 2. 23. 2 Quòd ex membro Chriſti faciunt membrum ſcorti, ô dedecus ingens! 3 Ex templo Spiritûs Sancti, latibulum Diaboli, &c.

Quæri hìc ſolet; num in hoc ſolo peccato corpus lædatur? In furto, homicidio, mendacio, &c.

corpore abutimur? *Reſp.* Non toto, ſed parte aliquâ, mentiendo linguam, furto manus, &c. hîc totum adhibetur. 2 Abutimur ut organo, non violamus tanquam objectum, quod in ſcortatione evenit: *Inſt.* Invidiâ etiam maceratur corpus? *Reſp.* De peccatis hîc agitur in actum exteriorem erumpentibus; Invidia autem eſt animi perturbatio; cujus actus ſi qui erumpant, promovent illi valetudinem corporis, non impediunt.

THESES *Duæ:*

Prima, Non litigandum cum fratribus ſub injuſtis.

Secunda, Fugienda ſcortatio. Rationes vide in Analyſi.

FINIS *Capitis Sexti.*

CAP. VII.

Cap. VII.

De Re Matrimoniali quatuor ferè ſunt quæſtiones, quas breviter & dilucidè tractat Apoſtolus, de his conſultus à *Corinthiis*. Prima ſic habet: Teneaturne fidelis à commercio conjugali, ut liberiùs vacare poſſet cultui Dei? *Reſp.* 1 Ex diſtinctione liciti & neceſſarii, καλὸν, inquit, eſſe in caſu conceſſerim, non tamèn abſolutè neceſſarium, *ver.* 6. Conceſſio liciti eſt *ver.* 1. Correctio ſivè Reſtrictio, *ver.* 2. διὰ τὰς πορνείας, &c q.d. Hoc ita intelligi velim, ut caſum neceſſitatis excipiam, in eo enim aliâ incedendum eſt regulâ, ut quiſque ſuam retineat uxorem, & quæque maritum ſuum; Ergò, in periculo fornicationis, ubi non eſt donum continentiæ, & quidem utrique conceſſum, duo monet, 1 ut cohabitationem ne deſerant, *ver.* 2. 2 ut & thori commercia ſibi invicem indulgeant; Ac hujus quidem Ratio duplex, 1 Periculum fornicationis, *ver.* 2. 2 Mutuum illud intereſſe ſive Jus, quod habent in corporibus ſuis invicem conjugati; *ver.* 3: & 4.

Ver. 5. ἀφίστησις eſt; quæritur enim, An non liceat conjugatis, à thori, menſæque conſortio abſtinere? *Reſp.* Licet, inquit, triplici adhibitâ cautelâ, 1 ut fiat cum utriuſque partis conſenſu, alioqui enim fraus fit, 2 ut non niſi id exigente neceſſi-

tate fiat, incidentibus, scilicet, temporibus, in quibus precibus & jejunio vacandum sit; 3 ut tempestivè fiat regressus ad hæc officia; Cujus ratio assignatur, periculum tentationis. Hæc *ver.* 5.

Ver. 6. περὶ δὲ altera est; quid ergò? num hoc quod de citò repetendâ consuetudine conjugali dicis, ut mandatum necessariò observandum injungis? Necessarione consuescendum est uxori? &c. *Resp.* Non hoc, inquit, in mandatis do, sed ut consilium propono; q. d. Non hoc impero, ut si qui continere diutiùs possint, statim repetant officia conjugalia; optarem enim omnes, sicuti meipsum, continere posse; sed cùm omnes non capiant, Hoc, *Mat.* 19. moneo, suadeóque ut Castitati consulatis, *ver.* 6. 7 ubi & altera ratio est Regrediendi ad thori commercia; scil. quia omnes non donentur Continentiâ.

Quæstio secunda est de viduis; viz. Num secundæ nuptiæ sint contrahendæ? *Resp.* Continere potentibus bonum quidem & utile abstinere à conjugio, non valentibus continere, necessarium nubere; Ratio, quia libidinum flammæ restinguendæ, *ver.* 8 9.

Quæstio tertia, de divortiis extra casum Adulterii; ea duplex, 1 de separatione voluntariâ propter ortas offensiones & dissidia; scilicet, an propter orta dissidia secedendum? & si secessus fiat, num nuptiæ alteræ ineundæ? *Resp.* 1 ex ore ipsius Domini, Non secedendum. 2 Si secessus fiat, non nubendum. 3 περὶ παρθένων, quid agendum ad libidi-

nis

nis remedium? *Resp.* Reconciliatio fiat. Hæc *ver.* 10. 11.

Secunda de divortiis quæstio; num in impari conjugio, hoc est, ubi Religionis diversitas est, separatio sit necessariò facienda? *ver.* 12. *Resp.* Minimè, immò potiùs convictui opera danda, *ver.* 16.

Ver. 14. Atqui non potest haberi thori commercium sine conscientiæ violatione? *Resp.* Immò potest; siquidem alterutri parti fideli, altera pars infidelis sanctificatur, id quod ex effectis patet; nisi conjux incredulus sanctificatus esset in credente, liberi eorum essent impuri; At liberi non sunt impuri, sunt enim sancti, ergo, Conjux infidelis sanctificatus est in fideli: Hîc memineris convictum ita imperari, ut sit ex mutuo partium consensu: *ver.* 12.

Quæstio θεολογικὴ, *ver.* 15. Si non consenserit infidelis ad cohabitationem, quid faciendum? *Resp.* Liberabitur, inquit, ab obligatione conjugii, sed hâc lege, ut pacificè & modestè omnia tentet, quò possit conjugem apud se retinere; Cujus ratio assignatur, spes lucrifaciendi infideles ad fidem Christi, adeoque ad salutem: Hæc *ver.* 12, 13, 14, 15. 16.

Ver. 17. θεολογικὴ adhuc altera: Quid si spes nulla lucrifaciendi? *Resp.* εἰ μὴ, &c. Ipse intra vocationis suæ terminos donis à Deo datis utatur ad hoc ut lucrifaciat, de cætero nihil sollicitus.

Ver. 18. Transitus est ab Hypothesi ad thesin, q. d.

q. d. quod de conjugio dixi, non eſſe illum vitæ ſtatum religionis cauſâ deſerendum, hoc idem de cæteris vitæ ſtatibus, & in univerſum de rebus externis ſtatuo; ut ſive circumciſus ſit quis, ſive incircumciſus; ſive ſervus, ſive liber, in eo vitæ genere maneat, de eo mutando nihil ſollicitus; Ratio eſt *ver.* 19. quia externa hæc planè nihili ſunt apud Deum, qui interna potiùs ſpectat, *ver.* 21. Correctio eſt ad ſervitutem ſpectans, quâ monet libertatem, ſi commodè obtineri poſſit, ſectandam. 2 Cautelam adjungit, ut, dùm pro officii ratione Dominis ſuis ſerviant ſecundum carnem, conſcientiam tamen hominibus non ſubjiciant: Ratio, Empti eſtis pretio, *ver.* 23.

Quarta demum ſupereſt quæſtio de Virginibus, num illæ matrimonium inire debeant? ſunt autem virgines duplicis generis; aliæ ſui ſunt juris, ſublatis per mortem parentibus, aliæ in alienâ poteſtate; de primis primò; quibus Matrimonium non prohibet ut illicitum, ſed diſſuadet ut incommodum; non illicitum, nam ſi nubat, non peccat, *ver.* 28. ſed incommodum propter præſentem neceſſitatem, *ver.* 26. & propter moleſtias corporis, *ver.* 28. & ſollicitudines mundanas, *ver.* 32, 33, 34, 35. quas ex diſſimilium loco illuſtrat, oſtendens innuptos his curis non impediri, *ver.* 29 30. 31. Interſerit præceptum generale de uſu rerum præſentis vitæ, ut ſcilicet ne ſimus iis, aut earum uſui nimis intenti; Ratio 1, Temporis Brevitas, *ver.* 29. 2 Vanitas rerum mundanarum, nihil enim habent ſolidi,

lidi, sed χῆμα tantùm. 3 Periculum abductionis à melioribus studiis. παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, &c. *ver.* 31.

Ver. 35. μέριμνα est; quâ scrupulum ex prædictis fortè oriturum eximit; sic enim illi fortassè, vis ergò nos cælibes manere, ut simus curæ expertes? *Resp.* Id quidem, inquit, optarem, si commodè pieque possit fieri, nec tamen ita intelligi velim, quasi necessitate aliquâ conscientias vestras ad cælibatum astringam, cùm non sitis continentiæ dono prædiți; hoc enim esset laqueum vobis injicere, adeoque exitium vobis adferre, sed si possit fieri, velim vos, ut *Mariam*, Domini cultui, sine distractionibus *Marthæ* attendere, *Luc.* 10. 39, 40.

Ver. 36. De altero virginum genere differere incipit, quæ scilicet sunt in aliena potestate: de his quæritur, Num parentes eas elocare in matrimonium debeant? *Resp.* Si necessitas id postulet, eò quòd non contineant virgines, licet, inquit, immò oportet elocare, *ver.* 36. Sin aliter parentibus visum fuerit, nec ulla appareat elocandi necessitas, retinere apud se virgines suas & licitè, & pulchrè possunt, *ver.* 37.

Ver. 38. Sed uter ex his liberis suis commodiùs prospicit? *Resp.* Uterque benè, sed meliùs qui non elocat; cujus rationem videtur assignare, *ver.* 39. quòd nupta non sit ampliùs sui juris.

Ver 39. 40. Quasi ad quintam quandam quæstionem respondet; est autem ea de obligationis conjugalis duratione; quamdiu scilicet mulier viro

suo obligetur? *Resp.* Usque ad mortem viri, non ultrà: ex quo consectarium ducit de nuptiis renovandis: ubi duo monet, 1 ut, si nubat, in Domino nubat; 2 ut, si possit, vidua maneat; cui consilio attendere monet, eò quòd, qui consulit Spiritu Dei dirigatur.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. καλὸν ἀνθρώπῳ.] id est, συμφέρον, quod liquet ex adjecto casu tertio, scilicet, ἀνθρώπῳ, itaque non hîc opponitur vitio, sed incommodo: γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι.] verbo, ὑπάρχω, generaliter viri cum muliere consuetudinem sumito. γυναικὸς nomine, si *Hyeronimum* sequeris, uxorem; si alios, mulierem in genere intellige.

Ver. 2. ἐχέτω.] Hoc si ad conjugatos referas, Retineat; si ad innuptos, ducito, sive acquirito, interpretare, utrovis hîc sensu sumas, perinde enim est; nam quæ Ratio conjugatos ad thori commercia adigit, eadem nondum conjugatos ad nuptias ambiendas urget, scilicet, ut vitent πορνείαν, id est, omnis generis immunditiem.

Ver. 3. τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν.] id est, debitum conjugale; verecunda metonymia efficientis.

Ver. 5. ἵνα σχολάζητε τῇ νηστείᾳ καὶ προσευχῇ.] de extraordinariis precibus hîc agi ex eo liquet, quòd jejunium precibus additur; Cujusmodi præparatio fuit ad audiendam legis promulgationem, *Exod.* 19.15.

confer

confer item *Ioel.* 2. 16.

Ver. 6. τοῦτο δέ.] Si quod monui de celeri regressu ad comercium conjugale, κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγήν, id est, secundum concessionem, sive indulgentiam, non secundum mandatum; q.d. Hoc vobis concedo, & consulo, ut remedium contra incontinentiam; non mando ut necessarium observatu, si possitis continere.

Ver. 7. ὡς καὶ ἐμαυτόν.] Continentiâ scilicet donatos; ut possint semper à muliebri commercio abstinere.

Ver. 9. κρεῖττον γὰρ ἐστὶ γαμῆσαι, ἢ πυροῦσθαι.] simile est, ac si quis dicat, meliùs est Christum confiteri, & cum eo pati, quàm in inferno pati in æternum. *Hieronymus* hinc infert, ergò, aut bonum uri, aut malum γαμῆσαι: nos sensum videamus: τὸ καλὸν, hoc loco commodum significat, ut *ver.* 8. κρεῖττον, commodius, κατὰ παραχρῆσιν, minùs incommodum; quo sensu sæpè invenitur in Proverbiis *Salomonis*, *Prov.* 17. 1. & alibi, ut sit sensus, etsi utile dico cælibem agere propter præsentem necessitatem, & sollicitudines mundanas; tamen si uri necesse est in cælibatu, commodiùs existimo, aut saltem minùs incommodum γαμῆσαι, quàm πυροῦσθαι: etsi enim mala aliqua & incommoda secum trahat matrimonium, plura tamen & graviora adfert libido; Reatum scil. æternæ mortis; sunt autem gravissima pœnæ mala leviora vel minimo culpæ malo, id est, peccato.

Quæstio: Num itaque γαμῆσαι incommodum? *Resp.* Non naturâ suâ, sed ex accidente peccato ho-

minis, ex quo emanârant molestiæ multæ, ut pœnæ peccati.

Ver. 10. μὴ χωρισθῆναι.] τὸ χωρίζεσθαι reciprocam hîc habet significationem: Hîc enim agit *Apostolus* non de divortiis in casû adulterii, sed de spontaneis desertionibus, quæ propter aliquam animi offensionem interveniebant; id quod tùm illud (κατολλαγήτω) hîc evincit, tùm locus ille Christi: *Math.* 5. 31. 32. & 19. 8. 9.

Ver. 12. ἐγὼ λέγω, οὐχὶ ὁ Κύριος.] Annon hæc Dominus dicit? qui ergò ligant? *Resp.* Non Dominus, scilicet expressè, sive totidem verbis, sive suo ipsius ore, ut illud de divortiis, *Math.* 5. 31. 32. Dominus tamen per Spiritus afflatum, *ver.* 40. Præcepta enim Christi duplicia sunt: quædam ipsius ore, dùm in terris ageret, expressa, ut illud de divortiis, *Math.* 19. 9. quædam postea per Spiritùm Apostolis inspirata, *Ioh.* 14. 26. 2 *Pet.* 1. 21. Aliter, præcepta Christi duplicia: quædam in specie, & totidem verbis dicta; quædam ex certis quibusdam & generalibus principiis per necessariam consequentiam deducta; ut hoc ex generali doctrinâ charitatis, & Lege conjugii.

Ver. 14. ἡγίασται γὰρ, &c.] scilicet quoad usum in copula conjugali. ἐν γυναικὶ, id est, respectu uxoris. ἀνδρὶ, ut pote à fœdere alieni. ἄνδρα, respectu scil. fœderis, quod etiam cum femine cujusque vel unius fidelis initum est: Argumentum est ab effectis ad causam; si liberi ex hac admistione progeniti sint sancti, tùm ipsa commistio; At liberi sancti, quia

quia fœdere comprehenſi, *Gen.* 15. 17. Ergò. Sunt qui politicam ſanctitatem hîc intelligi volunt, & matrimonia ſancta intelligunt politicis legibus rata; liberos ſanctos, non ſpurios, ſed legitimos, ſed malè, cùm hîc conſcientiæ caſus ſit, quam nec informant, nec pacant Leges Politicæ.

Ver. 15. ὁ ἀδελφὸς.] id eſt, non tenetur vinculo conjugali obligatus, quin poſſit aliam ſuperinducere. *Ob.* At ſolum Adulterium matrimonii vinculum ſolvit? *Mat.* 5. 32. *Reſp.* Id verò negatur; ἀπολύσεως, id eſt, dimiſsionis cauſa nulla juſta niſi adulterium, *Mat.* 19. 9. Libertatis autem cauſa altera, viz. voluntaria infidelis diſceſsio; Chriſtus de voluntariâ atque expetitâ conjugis dimiſsione agit, *Paulus* de obligatione partis deſertæ, ubi deſerens nullo modo retineri poſsit; Chriſtus de licitâ diſputat dimiſsione; *Paulus* de neceſsitate obligationis. ἐν δὲ εἰρήνῃ κέκληκεν, &c.] Correctio eſt, q. d. Hoc tamen poſtulat Deus ut pacificè vivamus vnà cum conjuge infideli, eumque omnibus, quibus poſſumus, officiis demereri, adeoque retinere ſtudeamus: Ratio eſt ab utili, ſive ſpe lucrifaciendi.

Ver. 17. εἰ μὴ, &c.] Optimè placet illorum conjectura, qui hæc adjecta ἀνακίγμα legunt, q. d. εἰ μὴ, id eſt, ſin minùs, id eſt, ſi nulla ſpes ſit lucrifaciendi conjugem, retineatur tamen iſtud generale præceptum, perſtandum eſſe unicuique in eo ſtatu, in quo à Deo fuerit collocatus.

Ver. 18. μὴ ἐπισπάσθω. Chirurgi ſcil. operâ: *Celſus lib.* 7. *cap.* 25. quod impium ſcelus, teſte *Epiphanio*,

lib. de Pond. & Mensuris, commisit Symmachus, quum se Judæis adjungens secundò circumcisus est; Arte enim exsectum ante præputium induxerat.

Ver. 21. ἀλλ' εἰ, &c.] Correctio est parenthesi includenda.

Ver. 22. ὁ γὰρ ἐν Κυρίῳ.] Ratio est ejus quod antè dixerat, *ver.* 21. μὴ σοι μελέτω.

Ver. 24. παρὰ Θεῷ.] id est, non coram Deo, ut *Beza*, sed apud Deum, id est, in Ecclesia, in qua regnat Deus; *Piscator.*

Ver. 25. ἐπιταγὴν.] scilicet, specialiter de hac re latam.

Ver. 26. διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην. nam hoc tempore vix licebat fidelibus ullo loco consistere.

Ver. 28. ἐγὼ δὲ ὑμῶν φείδομαι.] q.d. Nolim hæc prolixè nimis, aut strictè urgere, &c.

Ver. 31. τὸν κόσμον τοῦτον.] id est, rebus hujus mundi ad vitæ usus necessariis, metonymia subjecti. ὡς μὴ καταχρώμενοι, abutimur multis modis, 1 Cùm illis addicti nimium sumus, non tàm possidentes, quàm ab illis possessi. 2 Si in alium usum convertamus, quàm illum in quem sunt conditæ. παράγει, id est, fallit ac decipit, blandâ nimirum specie homines alliciens.

Ver. 32. λέγω δὲ ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι.] Summatim, opinor, explicat, quod fusiùs & per partes dixerat, q.d. Quòd flentes sint, quasi non flentes, &c. sic accipite, velle me rerum omnium mundanarum anxiâ vos curâ ac sollicitudine immunes esse.

Ver. 34.

Ver. 34. μεμέρισται.] id eſt, ut *Theoph.* ab invicem differunt, nec curâ ſimili ducuntur, ſed ſejunctæ ſunt ſtudiis & alienæ, & rebus intendunt diſparibus, & diſcrepant curis. μεμνᾶ τὰ τῆ Κυρίᾳ, ſcil. ea ſola: ἢ ἡ γαμήσασα, Hæc alia habent avocamenta, ut non poſſit tota rebus divinis attendere. *Ob.* Ergò, Beatior cælibatus conjugio? *Reſp.* Nequaquam: ſed commodior, utpote curis illis, quibus diſtrahi ſolent conjuges, immunis: ſemper hîc intellige, ſi continentiæ donum adſit.

Ver. 35. οὐχ' ἵνα βρόχον.] Laqueum intellige neceſſitatem, ut *Theophylactus*, q. d. Non ita intelligi velim, ac ſi vobis imponerem cælibatus neceſsitatem; aut ut quenquam vel invitum cogam ſervare virginitatem: Metaphora.

Αλλὰ πρὸς τὸ ἄσχημον ἡ ἀπάρεσεν,] Quid illud ſit τὸ συμφέρον jam explicat, viz. cælibes dum ſint, decenter & aptè poſſunt ſine diſtractionibus Domino aſsidere, cum *Maria*, *Luc.* 10. 39. 42. Cùm alii, ut *Martha*, curis diſtrahantur, *ver.* 40.

Ver. 36. Ἀσχημονεῖν.] id eſt, turpiter & indecorè ſe gerere. ἡ ὅτως ὀφείλει γίνεσθαι, ſcilicet, ad vitandam ſcortationem, *ver.* 2. 7. propter continentiæ carentiam. οὐχ ἁμαρτάνει, id eſt, καλῶς ποιεῖ, *ver.* 38.

Ver. 39. ἔστιν ἐλεύθερα, &c.] ſcilicet, quod ad animi propoſitum attinet. μὴ ἔχων ἀνάγκην; neceſſitatem intellige ex virginis ſuæ infirmitate, adeoque incontinentiâ provenientem. ἐξουσίαν ἡ περὶ τῆ ἰδίᾳ θελήματος ἔχων: Is dicitur voluntatem ſuam in poteſtate habere, cujus voluntas ab altero non pendet:

det: pendet autem hâc in parte Patris voluntas à liberorum voluntate, ita ut teneatur illorum infirmitati consulere, nec possit illis cælibatus necessitatem imponere.

Ver. 38. κρείσσων ποιεῖ.] id est, commodiùs liberis suis consulit.

Ver. 39. γυνὴ δέδεται. scilicet, ἐπὶ τὸ πλεῖστον: & excepto casu fornicationis, *Math.* 5. 32. & voluntariæ desertionis, 1 *Cor.* 7. 15. μακαριωτέρα δὲ: scilicet, secundum carnem, quia paucioribus molestiis obnoxia.

Ver. 40. δοκῶ δὲ.] ἐμφατικὴ μείωσις.

THESES *præcipuæ.*

Prima, Convictus Matrimonio devinctis necessarius: *ver.* 3. 4. 5. Ratio duplex, 1 Mutuum interesse ad corpora. 2 Periculum intemperantiæ.

Secunda, In impari conjugio ad convictum potiùs alligamur, quàm ad desertionem: Ratio 1 Quia sanctus usus infidelis fideli conceditur, *ver.* 14. 2 Propter spem lucrifaciendi.

Tertia, Externæ vitæ status nequaquam deserendus: Ratio, quia externa hæc nihili sunt apud Deum, id est, per se non commendant Deo, ut nec displicent.

Quarta, Commodior continere valentibus cælibatus, quàm conjugium, 1 Propter præsentem necessitatem, *ver.* 26. 2 Propter molestias conjugium

um comitantes, *ver.* 28. 3 Propter curas & distractiones conjugatorum varias, quibus carent cœlibes. 4 Quia cœlibes expeditiores ad regnum Dei. *ver.* 32, 33, 34, 35.

FINIS *Capitis Septimi.*

I CAP. VIII.

CAP. VIII.

DE Idolothytis eorumq; esu dicturus duo facit: primò, Anticipat argumenta vescentium. 2 Dissuadet esum.

Argumenta tria sunt suâ quodque πρόληψι implicitum. Primum sic habet: qui scientiam habent, id est, qui satis instructi sunt de licito Idolothytorum usu, ii licitè possunt edere; nos scientiam habemus; ergò, licitè possumus edere? Responsio est, primò per Concessionem, 2 per Correctionem, *ver.* 1, 2. Summa responsionis est: Ad Propositionem negatur, Non enim sufficit scientia, nisi adsit & charitas; scientia quidem necessaria, & quod teipsum attinet sufficiens: At in istiusmodi rebus fratris quoque Ratio habenda, ut is per charitatem ædificetur: 2 Ad assumptionem negando, adhibitâ distinctione; nec enim, inquit, veram & Deo placentem habetis cognitionem: Ratio 1 Quia opinione scientiæ vestræ turgescitis, vera autem scientia humilitatem docet. 2 Quia charitate proximi, adeoque Dei destituti estis, quâ nunquam caret vera cognitio. Hæc *ver.* 1.2.3.

Argumentum secundum πρόληψι item suâ implicitum sic habet, *ver.* 4. Qui sciunt Idolum nihil esse, adeoque immolatione, quæ fit Idolis, carnis non pollui, ii licitè Idolothyta possunt edere,

Nos

Nos hoc ſcimus, *ver.* 4. ergò, licitè poſſumus edere? Reſponſio eſt ut ſuperior, 1 Conceſsione, quæ item latiùs explicatur, *ver.* 5, 6. 2 Correctione, *ver.* 7. Reſponſionis ſumma eſt, ad propoſitionem, eam ſic limitandò; qui hæc ſciunt, poſſunt fortaſsis edere, ſed hâc lege, ut cæteri etiam omnes hâc ſcientia imbuti ſint, ſecùs non; nam ignari ſcandalizabuntur; Atqui omnes non habent hanc ſcientiam; ubi reſpondet aſſumptioni, ergò, abſtinendum. Probat omnes non habere, quia quidam Idolothyta hæc edunt cum conſcientia Idoli, id eſt, ſuggerente illis conſcientiâ ſuâ erroneâ atque infirmâ, Idolum aliquid eſſe, ergò, abſtinendum.

Argumentum tertium ſic habet, ſuâ item συνέσει intellectum, *ver.* 8. niſi edamus jure noſtro fraudabimur, ergò, edendum? *Reſp.* Negatur Antecedens, *ver.* 8.

Diſſuadet eſum, *ver.* 9. ad quam quidem diſſuaſionem tranſit Corollario, ex proximè memoratâ ἐξουσία eorum deducto. Rationes ſunt 1 Libertate Chriſtianâ non eſt ad ſcandalum infirmorum abutendum; At hoc Idolothytorum eſu infirmis ſcandalum præbes, ergò, ab eſu abſtinendum. Minor probatur, *ver.* 10. qui exemplo tuo inducitur ad edendum, dùm dubitat an licitè poſſit edere, is offenditur eſu tuo, At infirmi exemplo tuo ſic invitantur, *ver.* 10. Ratio 2, quæ etiam probatio fundamenti prioris eſſe poteſt; Si quantum in te eſt deſtruis fratrem hoc eſu, tùm abſtinendum. At quantum in te eſt, deſtruis fratrem hoc eſu, ergò,

abstinendum. Minor est, *ver.* 11. Consequentia patet, quia Christus pro eo est mortuus; Finis autem Christi mortis non frustrandus. Ratio 3, Si edentes in Christum ipsum peccatis, tùm ab esu abstinendum; Atqui edentes in Christum peccatis, ergò, abstinendum. Minor est *ver.* 12. & ejus probatio, quia verberant conscientiam infirmorum. Ratio 4, Exemplum *Pauli*, *ver.* 13. abstinentiam à cibo perpetuam voventis in fratrum gratiam: ubi etiam conclusio principalis *Pauli* personâ proponitur, q. d. Ergò, perpetuò potiùs abstinendum à cibo, quàm frater offendendus.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων.] Sic vocat carnes immolatitias, πάντες, id est, plerique omnes, Hyperbole, confer *ver.* 7. γνῶσιν ἔχωμεν, Concessio ironica. φυσιοῖ, id est, vanitatis, atque arrogantiæ materiam præbet; quatenùs scilicet charitate destituitur.

Ver. 2. δοκεῖ.] id est, Hoc tantùm proponit sibi ut sciat, & in ea scientia acquiescit, atque ob eam sibi placeat; sic *Mat.* 3. 9.

Ver. 3. οὕτως ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ.] Sunt qui Græcum hoc (ἔγνωσται) putant habere significationem conjugationis Hæbraicæ *Hophal*: adeoque sic reddunt, Scire factus est, id est, Cognitione donatus est, Cui, ut *Iunio* placet, favet Interpretatio Syriaca. Ego malo hoc simpliciter de notitia Dei approbativa accipere;

accipere; ut ſenſus ſit, hic certè à Deo dilectus eſt; ac proinde cognitione verâ ab ipſo donatus; niſi mavis Metonymiam efficientis agnoſcere.

Ver. 4. περὶ τῶν βρώσιμων, &c.] Epulæ ſolebant inſtrui in Idolorum templis, idque in honorem Idolorum; de his quæritur, Num liceret Chriſtianis iſtiuſmodi epulis communicare. ὅτι οὐδὲν εἴδωλον: Nihil ſcilicet ratione ſignificationis; nam ratione ſubſtantiæ eſt aliquid; puta lignum, æs, aurum, &c. εἴδωλον, id eſt, ſimulachrum ad numen aliquod repræſentandum fabricatum; ſeu mavis ipſum illud intellige ſimulachris repræſentatum; neque enim numen ejuſmodi aliquid eſt reverâ in mundo, quale ſibi imaginantur Idololatræ, ſed ſunt hæc inania tantùm humani cerebri figmenta & ſomnia, id quod probat, quòd unus tantùm ſit Deus, cui ſoli competit Majeſtas divina, nullâ unquam effigie repræſentabilis.

Ver. 5. ᾧ γὰρ εἴπερ.] Cujus objectio hæc eſt; Sunt Dii multi in cœlo, & terrâ; In cœlo, Sol, Luna; in terra, heroici Homines, &c. immò Angeli & Principes dicuntur Elohim? *Reſp.* Sunt, inquit, Ethnicorum opinione, non fide Chriſtianâ. Aliter, Sunt λεγόμενοι ſive nuncupatione, non φύσει. Argumentum iſtorum pro Idolothytorum eſu ſic habet: quod nihil eſt, impuros cibos reddere non poteſt, Idolum nihil eſt, ergò, Non poteſt cibos efficere impuros; & per conſequens iis uti licet. Aliter, Si impuri ſint, hoc fit, quòd numini alicui falſo immolentur; At non ideò ſunt impuri, nam Idolum nihil eſt,

Ergò. Aliter, Si impuri sint, sunt iis quidem impuri, qui Idola pro Diis habeant, atque æstimant; At nos non habemus Idola pro Diis, ergò, nobis non sunt impuri? Minor est *ver.* 4. Respondet Apostolus ad Minorem: Sunt, inquit, ex vobis, qui Idola ut Deos æstimant, *ver.* 7. ἡ γνῶσις, scil. Idolum nihil esse. τῇ συνειδήσει τοῦ εἰδώλου, hoc est, mentem pristinam erga Idola servantes ducunt hæc aliquid esse, verenturque quasi aliquid sibi possint obesse, *Theoph.* ὡς εἰδωλοθυτόν, id est, eâ mente ut Idola honorent, id est, esum ejusmodi carnium putant in honorem Idoli cedere. μολύνει, scil. Reatu & maculâ peccati, vel quòd in honorem Idoli comedat, vel quòd tuo invitatus exemplo id agat, de quo dubitat an possit agere.

Ver. 9. ἡ ἐξουσία.] id est, Jus sive libertas utendi rebus mediis. πρόσκομμα, id est, offensionis occasio, quatenùs tuo exemplo animatur ad id agendum, de quo dubitat.

Ver. 10. ἡ συνείδησις.] quæ scil. adhuc trepidat, hæsitatque. οἰκοδομηθήσεται, id est, instruetur, confirmabitur, animabitur. *Theophylactum* vide totum hoc caput optimè explicantem.

Ver. 11. ἀπολλύται.] scil. quantum per te stat; nec enim perit quisquam pro quo Christus est mortuus, *Ioh.* 10. 28.

Ver. 12. τύπτοντες.] id est, vulnerantes, metonymia efficientis & metaphora; nam ut telis corpus, sic animus offendiculis afficitur. εἰς Χριστὸν, &c. partim quia legem charitatis violat; partim, quia quantum

in

in ipſis eſt, finem mortis Chriſti evacuant, *ver.* 10. partim denique propter συμπάθειαν illam inter Chriſtum & membra corporis myſtici, *Act.* 9. 4. 5.

THESIS *unica præcipua.*

IN uſu indifferentium, Ratio habenda infirmiorum fratrum: Ratio prima, Nihil nobis de jure noſtro deperditur, *ver.* 8. 2 Frater intempeſtivo libertatis uſu in peccatum, adeoque exitium detruditur, *ver.* 10, 11. 3 Chriſtus ipſe offenditur, *ver.* 12.

FINIS *Capitis Octavi.*

CAP. IX.

CAP. IX.

HOc Capite fusiùs proponit exemplum suum in usu libertatis Christianæ imitandum; quippè qui libertatem concessam in gratiam fratrum remittat: id quod duplici probat instantiâ; 1 Debiti victus; 2 Indifferentium: Summa est; Si ego Apostolus & Pater vester libertati meæ Apostolicæ & Christianæ penitùs renuntio quoad usum, in gratiam infirmorum, tùm & vos debetis fratrum habere rationem; At primum verum, ergò, secundum.

De Apostolica ἐξουσία quoad usum primò: Ego, inquit, Apostolicâ potestate ad victum sumendum ab Ecclesiis non sum usus; ergò, vos in gratiam infirmorum à cibis abstinete. Quoniam autem objici hîc poterat, primò, ipsum non esse Apostolum. 2 Apostolum ejusmodi potestatem aliquam nequaquam habere, utrumque ἀναπτύξεως evincit, 1 Apostolum se esse, *ver.* 1, 2, 3. partim à forma vocationis, partim ab effectis; sic: Qui à Domino Jesu immediatè vocati sunt ad munus Apostolicum, & in eo exercendo potentes fuêre ad fidem, conversionemque in cordibus hominum operandam, ii sunt Apostoli; At ego sic vocatus sum, sic potens atque efficax fui, Ergò. & Minorem probo ipsorum testimonio, quod interrogando à conscientiis

ſcientiis extorquet. Apoſtolos habere hanc poteſtatem probat, primò, exemplo *Petri, Iacobi*, aliorum, *ver.*4,5. 2 Comparatione parium; cæteris operariis merces laborum & fructus rependitur, militi, vinitori, paſtori, ergò,& Apoſtolis debetur, *ver.*6,7. 3 Typico Legis teſtimonio; Bovi trituranti os non alligandum, id eſt, Miniſtro docenti alimenta præbenda. *Ob.* At hoc ad boves ſpectat, non ad Miniſtros? *Reſp.* Immò ad Miniſtros, hoc enim figuratè dicitur de Bobus, *ver.* 8,9,10. 4 Ab æquitate, majora dedimus, ſcil. ſpiritualia, ergò, minora accipere poſſumus, *ver.*11. 5 Ab exemplo aliorum, ſcil. Pſeudapoſtolorum, alii poteſtatem hanc & habent, & exercent, quidni & nos? *ver.* 12. *Ob.* Cur ergò non uſus es hâc poteſtate tuâ? *Reſp.* A fine, ne remoram Evangelio injicerem, *ver.* 12. 6 Levitæ participant cum Altari, ergò, Evangelii Miniſtri ex Evangelio vivere poſſunt, *ver.*13. 7 Denique expreſſè hoc ordinavit Chriſtus, *Mat.* 10,11. *ver.* 15. Argumentum principale eſt, Ego, inquit, nullo horum uſus ſum, ergò, vos à cibis abſtinete in gratiam Fratrum. *Ob* At uti fortaſſè vis; nam quorſum aliàs de poteſtate tua tàm multa? *Reſp.* Immò non id volo, Ratio eſt ab incommodo, nam tùm gloriatio mea de me vana eſſet, at hæc non fiet vana, ne ſi vitam ipſam amitterem, *ver.*15.

Ver. 16. ἀφέλησις altera eſt: Gloriatio tua non erit vana, aut nulla, de hoc enim gloriari poteris, quòd Evangelium prædicaveris, tametſi mercedem acceperis debitam, ergò, fortaſſis mercedem in poſterum

sterum expectas? *Resp.* Negat allegatum; simpliciter prædicare Evangelium non præbet justam gloriandi materiam; sed alacri animo, ac proinde gratis annunciare, hoc operæ-pretium: primum probat ex eo, quòd necessitas prædicandi ipsi incumbat, nullum autem necessarium, quatenus taliter factum, laudem meretur; sed sola gratuita & merè voluntaria; Gratis autem prædicare hoc & mercedis futuræ spem facit, & gloriationis apud homines causam justam: Hæc *ver.* 16, 17, 18. quippè quod hoc in prædicantis potestate ac libertate sit positum.

Ver. 19. De libertatis suæ Christianæ, scil. à cæremoniis usu incipit disserere, ad quem transit per comparationem majorum, non solùm jure hoc Apostolico cessi, sed & libertate in universum Christianâ; id quod proponit, primò, in genere, *ver.* 19. 2 Per species declarat. 3 Fine illustrat: Ratio sic habet, Ego, inquit, libertatis Christianæ usu abstineo, ut lucrifaciam plurimos, ergò, & vos debetis; Antecedens amplificatur duplici fine. 1 Est bonum aliorum, *ver.* 19. 22. 2 Commodum suum, scil. ut ipse beatitudine Evangelicâ communicet, *ver.* 23. ubi duo latent argumenta ad propositum accommodatissima; si abstinentiâ vestrâ & alios lucrifacere possitis, & vosmet servare, tùm abstinendum; At prius verum, Ergò, &c.

Ver. 24. πρόληψις altera est: cujus Objectio sic habet; Fructus Evangelici participes esse possumus, etiamsi in cibis libertate nostrâ utamur, ergò, non est necesse

neceſſe abſtinere? *Reſp.* Negatur allegatum, ſi ad omnes extendatur; Ratio negationis eſt ex loco ſimilium; ut qui ſtadium currunt, &c. præmium non accipiant, niſi legitimè curſum perficiant; ſic nec omnes Evangelium prædicantes vitam æternam adipiſcuntur, niſi in Evangelio probè ſe gerant, &c.

Ver. 25. Corollarium deducitur hortatorium ad cautè & prudenter agendum in hoc curſu ſpirituali; ſic currite, ut comprehendatis: *ver.* 25. πρόληψις, Id quomodò perficiemus? *Reſp.* Si more pugilum & curſorum ſobriè vos geratis, luxu abſtineatis, carnem denique mortificetis: Rationes tres, 1 Exemplum Gymnaſtarum tanquam par, ſeu minus, ſic; Si Curriculo Iſtmico ſe exercentes ab ingluvie ventris ſibi ſedulò cavent, tùm vos in ſpirituali pietatis curriculo continere debetis à luxu; At prius verum, ergò; Ratio conſequentiæ, ab inæquali præmio propoſito, illi enim coronam φθαρτὸν accipiunt, nos ἄφθαρτον expectamus. 2 Exemplum ſuum, Ego corpus contundo, &c. Ergò & vos debetis. 3 Periculum amiſſionis, *ver.* 26. 27.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. Ελλήνων.] ſcilicet, à legis ceremoniis, confer *ver.* 19. ἰώσησε, ſcil. in extaſi, ut *Stephanus*, *Act.* 7. 56. confer infrà *cap.* 15. 8.

Ver. 2. τὸ εὐαγγέλιον μου ὑμεῖς.] ſcilicet, Ratione fidei & regenerationis quam per miniſterium meum adepti

eſtis, Metonymia ſubjecti. ἐν Κυρίῳ, id eſt, per Dominum, ſeu virtute Domini cooperantis cum prædicatione meâ: Aliter; In Domino, id eſt, quatenus Domini membra facti eſtis. ἡ γὰρ σφραγὶς, &c. id eſt, ſigilli inſtar, quo ſcilicet obſignavit mihi & aliis Apoſtolatum meum Deus, quatenus efficax fuit per prædicationem meam in cordibus veſtris.

Ver. 3. ἀπολογία ἐστὶν.] Hæc ſcilicet quam modò dixi, nimirum, quòd vos meâ operâ ad fidem adducti eſtis: vide *Theoph.* ἀνακρίνουσι, id eſt, qui de me quaſi Judices de reo quæſtionem habent: Notat arrogantiam Pſeudopaſtolorum.

Ver. 5. ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν. Anglo Rhemenſes ſic: Mulierem ſororem, inverſo ordine, ut Miniſtrorum conjugia damnent: Mulieres autem has interpretantur eas, quæ Apoſtolos ſequebantur, ex copia ſua illis ſubminiſtrantes neceſſaria, ut liberiùs vacarent prædicationi: ubi primò obſervandus ordo; non enim dicit γυναῖκα ἀδελφὴν, ſed ἀδελφὴν γυναῖκα, quam non niſi abſurdè, & περιάγειν interpretareris ſororem, ſed mulierem, cùm vocabulum ſororis mulieris nomen neceſſariò implicet. 2 Vox ipſa circumducendi ſignificat jus mariti in uxorem, aut heræ in ancillam; At mulieres illæ ſponte ſecutæ ſunt Chriſtum, & ſuos. 3 De locupletibus hiſce mulieribus quid attinet Apoſtolum diſſerere, cùm ab iis ſublevata potiùs eſſet Eccleſia, quàm gravata. 4 Denique quàm malè famæ ſuæ conſuluiſſent Apoſtoli ſi alienas ad alienas traduxiſſent uxores? viri prudentes nunquam hujuſmodi malè criminandi

nandi anſam exteris præbere volebant. καὶ κηφᾶς: De hujus ſocru legis *Mat.* 8. 14.

Ver. 6. τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι.] ſcilicet, manibus propriis in artibus mæchanicis ad victum quæritandum: confer *Act.* 20. 34. *Act.* 18. 3.

Ver. 8. κατ' ἄνθρωπον.] id eſt, ſecundum morem hominum; ſive jus apud gentes omnes receptum, *Theoph.* nam humanis argumentis ſolùm hæc aſſevero.

Ver. 10. μὴ τῶν βοῶν.] ſcil. in hac lege ſancienda num ad boves reſpexit? Negatiò hæc κατὰ τι intelligenda eſt, non ſimpliciter; nam alioqui Dei Providentia ad viliſſima quæque animalcula extenditur. *Mat.* 10. 29. *Pſal.* 36. 6.

Ver. 12. εἰ ἄλλοι. ſcil. Doctores veſtri: τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσι: genitivus [ὑμῶν] notat objectum, non ſubjectum, ſenſus eſt, ἐξουσίας ἧς ἔχουσιν εἰς ὑμᾶς, confer *Mat.* 10. 1. *Mar.* 6. 7. οὐ μᾶλλον, utpote qui ſim Apoſtolus, egens, fideliter docens; Illi non ſic: πάντα στέγομεν, ſcil. laborem corporis, famem, ſitim, &c. ἐγκοπήν τινα: id eſt, Ne quam interruptionem demus; id eſt, ne curſum Evangelicæ Prædicationis retardaremus. *Quæſt.* Hoc quî fieret? *Reſp.* Quia hoc modo adverſarii veritatis, ipſam calumniandi anſam arripere potuerant, tanquam qui Evangelium cauponarentur.

Ver. 13. προσεδρεύοντες.] Aſſiduam ſignificat curam, aſſiſtentiam, ac proinde reſidentiam, hoc vocabulum. συμμερίζονται, Altari enim ſua cedebat portio, Sacerdotibus item ſua de victimis oblatis; Metaphora

taphora, illustris, quâ altari tribuitur actus animalis, scil. vorare.

Ver. 15. τὸ καύχημα μου.] quod illud? Hoc scil. quòd gratis Evangelium prædicaret, *ver.* 18. confer *Act.* 20. 33. 34. 35. Pseudopostoli autem *Paulum* calumniabantur tanquam commoda sua quærentem, vid. 2 *Cor.* 12. 16, 17, 18.

Ver. 16. ἀνάγκη, &c.] propter vocationem. 2 Hypothetica, si pœnas vitare vellet.

Ver. 18. ἀδάπανον.] id est, ut nullo sumptu constet auditoribus illius annunciatio. καταχρήσασθαι, non est itaque opus supererogatorium quòd *Paulus* in casu scandali, gratis prædicet: nam in hoc casu, cùm aut detrimentum gloriæ divinæ accrescere, aut scandalum proximo oriri, verisimile sit, abutetur libertate suâ, si quis utatur.

Ver. 23. ἵνα συγκοινωνὸς:] cum iis scilicet, quibus illud annuncio. εὐαγγελίου: id est, fructus Evangelici, puta æternæ vitæ.

Ver. 25. πάντα ἐγκρατεύεται.] id est, exquisitissimâ utitur dicetâ: obliquè hîc innuit *Paulus* aliam hujus mali causam, luxum scil. & intemperantiam; cui cùm dediti essent Doctores *Corinthii*, prætexebant libertatem Christianam ad hoc, ut lautissimis pontificalibus epulis participare possent: Ab hac ingluvie eos avocat *Paulus* ex consideratione vitæ Christianæ, ejusque in terra conditionis; est enim curriculum, est pugillatio, ad quam inepti planè futuri sunt, qui ventris ingluviei sunt dediti.

Ver. 27. πυγμάζω.] Verbum est à pugilibus sumptum,

ſumptum, qui pugnis aut cæſtibus Antagoniſtas contundunt.

THESIS *unica principalis.*

EVangelii Miniſtris debentur ab Eccleſia quæ ſunt ad victum neceſſaria. 1 Apoſtolis & debita & ſoluta ſunt, *ver.* 5. 2 Laboranti laborum merces jure debetur, *ver.* 7. 3 Lex *Moſis* id mandat, *ver.* 9. 10. 4 Spiritualia ſerunt, *ver.* 11. 5 Levitis debebantur, *ver.* 13. 6 Hoc inſtituit Chriſtus, *ver.* 14. Ergò.

Alia Theſis *minùs principalis.*

TEmperantiæ ac ſobrietati ſtudendum eſt. 1 Curſores, quorum Corona corruptibilis eſt, abſtinent. 2 Fruſtrà aliter curremus, quippe curſum retardante laſciviente ex crapula carne, *ver.* 24, 25. 3 Apoſtolus Spiritûs menſurâ eximiâ donatus, hoc pacto laſcivientem carnem reprimere neceſſum habuit. Ergò. *ver.* 26.

FINIS *Capitis noni.*

CAP. X.

CAP. X.

MOnuerat ſuprà, ut ſibi à ventris ingluvie potiſſimùm cavęrent; ex qua ſcilicet ortus eſt infirmiorum fratrum contemptus in Idolothytorum eſu. Hanc nunc monitionem ulteriùs proſequitur, additâ ratione duplici. 1 Pœnâ ex injuſtitia divina ſequutura. 2 Peccatis gulam hanc & crapulam concomitantibus: quam utramque rationem proponit exemplo Iſraëlitarum, & ad eos accommodat ex loco parium: Parium enim par Ratio: Contextus ſic habet ad *ver. 6.* ὥσπερ eſt hoc modo: Si Baptiſmi participes fiamus, cœnâ communicemus, cætibus Eccleſiaſticis interſimus, externa hæc non ſunt uſqueadeò curanda, nec enim tanti ſunt, ut pro illis nobis ſuccenſeat Chriſtus? ſubjectio eſt, quamvis Sacramentis participetis, divini favoris ſymbolis, peccantibus tamen vobis non parcet Deus: Probatur ex loco parium: Si Iſraëlitis Sacramenta celebrantibus non pepercit Deus hoc in genere delinquentibus, tùm nec vobis parcet; At Iſraëlitis non pepercit, *ver.* 5. Ergò, vobis nequaquam parcet: Conſequentiæ Ratio, quia ſimiliter cum ſimilibus agit Deus, *ver. 6. 11. Ob.* At non eadem habuerunt Sacramenta Judæi, quæ nos? *Sub.* Immò planè eadem, ſi Subſtantiam,

am, rem ſignatam & dignitatem ſpectes, *ver.* 1.2. 3.4 Id quod inductione probat, &c.

Ver. 12. Generalis admonitio ponitur, ne ſecurè ob hæc privilegia peccatis indulgeant, &c.

Ver. 13. παίλιν altera eſt ex proxima monitione exorta, q. d. Non hoc adeò vos moneo, quòd adhuc excidiſſe vos putem gratiâ Dei, ſcio enim lapſum eſſe planè humanum. *Ob.* Quid ergò? an caſuros nos prævides? *Sub.* Nec illud: Ratio prima, à fidelitate Dei. 2 Subminiſtratione opis Divinæ ad exitum.

Ver. 14. Principalis Concluſio repetitur: Fugite convivia illa Idololatrica: Ratio primaria, quia præſentia in iſtiuſmodi conviviis eſt Idololatria, ſcilicet, eò quòd hoc pacto tacitum conſenſum præbent honori Idolorum.

Ver. 15. παίλιν eſt: Num Idololatrica iſtiuſmodi præſentia? *Reſp.* Id non ego dico, ſed vos judicate.

Ver. 16. Probatur aſſumptio Argumenti; hæc ſcil. Quòd qui interſunt conviviis, in Idolorum honorem inſtitutis, participes illius cultus ſunt: Ratio eſt à pari dupliciter; Si quis Cœnæ Domini participes ſunt, communionem habere ſe teſtantur cum Chriſto, iiſque qui ſunt Chriſti; tùm qui conviviorum Idololatricorum participes ſunt, etiam Idolis & eorum cultoribus communicant: At primum verum, *ver.* 16. 17. Ergò, ſecundum. 2 Si Iſraëlitæ edentes victimas, teſtantur hoc facto ſe religionis Judaicæ participes eſſe, tùm & tu qui

victimas Idolorum comedis, eorum cultu communicas; At verum primum, *ver.* 8. ergò, & ſecundum.

Ver. 19. τί φημι eſt, Si cultu Idolorum participamus Idolothytis veſcendo, tùm Idolum aliquid eſſe, & Idolothytum etiam affirmas? *Sub.* Immò, non illud, ſed aliud dico: nempe, quæ Gentes immolant Idolis, non ea numini alicui vero, ſed certè Diabolo immolare: ubi Argumentum novum eſt, hoc modo; Qui Dæmonum cultu nolunt communicare, non debent cultui Idolorum intereſſe; At vos nec vultis, nec debetis Dæmonum cultu participare. Ergò. Propoſitio probatur, quia quæ Idolis immolantur, etiam Dæmonibus immolantur; ergò, Idolorum cultus eſt Dæmonum cultus, *ver.* 20. Argumentum quartum, Qui menſæ Domini participes ſunt, non poſſunt menſæ Dæmonum eſſe participes; At vos participes eſtis menſæ Domini; ergò, Non debetis eſſe Dæmonum, *ver.* 21.

Ver. 22. παραζηλοῦμεν alterum ſubjungit argumentum, petitum à certitudine ultionis divinæ, id quod probat, primò, ex ira Dei. 2 Infirmitate humanâ. q. d. Infirmus homo excelſi Dei iram irritare non debet; At hoc modo irritamus: ergò, Fugite hæc convivia.

Hactenus de præſentia in publicis Idolothytorum Conviviis: Privata nunc aggreditur, in quibus in caſu ſcandali non permittit intereſſe.

Ver. 23. παραζηλοῦμεν tranſit ad uſum privatum Idolothyto-

lothytorum: *Ob.* Omnia indifferentia ſunt licita; Idolothyta ſunt indifferentia, ergò, ſunt etiam licita; & per conſequens ubique & ſemper adhiberi poſſunt? *Sub.* Propoſitio duplicem habet limitationem, primam expedientiæ, 2 ædificationis; licita ſunt quidem, inquit, ſed tamen in uſu habenda etiam ratio eſt expedientiæ, atque utilitatis proximi, *ver.* 23. 24.

Ver. 25. Informat eos ac dirigit de uſu indifferentium, ac ſpeciatim de uſu Idolothytorum; docens primò, quando licet, & quando non licet edere. Licet primò, quatenus in macello inſtar aliarum carnium venduntur, cujus regulæ Ratio eſt; quicquid eſt Domini, id pii citra conſcientiæ ſcrupulum poſſunt in uſum ſuum convertere; At Idolothyta ſunt Domini, ut & terra univerſa, &c. ergò. *ver.* 25. 26. 2 In privato convivio, *ver.* 27. non licet, interpoſito ſcrupulo à fratre quovis infirmiori convivanti. *ver.* 28. Ratio triplex, prima, quia abundè ſuppetunt cibaria alia, quibus ad uſum noſtrum replevit terram Dominus, *ver.* 29. quibuſque veſci ſine fratrum noſtrorum ſcandalo liberè poſſumus. 2 Quia aliàs malè audiet libertas Chriſtiana, *ver.* 29. 3 Uſus hujus beneficii tanquam impietas damnabitur, *ver.* 30.

Ver. 31. &c. Regulas duas generales proponit, ad quas omnes in communi vitâ actiones exigendæ ſunt; prima, gloria Dei. 2 Utilitas proximi; ad quam quidem in indifferentibus reſpiciendum hortatur propoſito exemplo ſuo, *ver.* 32. 33.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 2. εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο. id est, In doctrinam à *Mose* traditam, ut *Act.* 19. 3. Cujus summa Christus. vide *Theophylactum* aliter interpretantem. ἐν τῇ νεφέλῃ: Nubes enim illa & mare symbola erant sacramentalia, Aquam Baptismatis repræsentantia.

Ver. 3. τὸ αὐτὸ βρῶμα.] scilicet, & inter se eundem panem, & nobiscum; non symbolis, sed significatione: eundem, inquam, nobiscum; Alioqui enim friget Apostoli argumentatio: confer item *Augustinus de utilitate Pœnit. cap.* 1. & 2. in *Psal.* 77. *Tract.* in *Ioh.* 26. πνευματικὸν, id est, spiituale aliquid significantem; *Aug.* in *Psal.* 77.

Ver. 4. ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας.] Metonymia efficientis, vel subjecti: Aquam intellige quam spiritualem dicit, ut suprà, ratione significationis. Sunt qui spiritualem petram Christum intelligunt, sed malè: nam obsecro? Si Christum perceperunt fide, quomodo non id in iis complacitum est Deo? *v.* 5. Urgetur hic locus ab Adversariis ad probandum, quòd impii etiam rem Sacramenti. percipiunt ἀκολουθούσης. Vel hinc patet petram deserti hîc intelligendam, non Christum; Nam Christus præibat, ut Dux; non sequebatur, ut Comes; *Num.* 9 17. *Quæst.* Num rupes sequuta est eos? *Resp.* Non; sed rivus ex rupe deductus: nam si hoc fuisset unius diei beneficium, postridiè fuisset iterum percutienda rupes in illo arido deserto. ὁ δὲ

Χριστὸς,

χριτὸς, ſcilicet, ſacramentaliter: Analogia autem ſigni ad rem ſignatam ſic habet: ut ex petrâ percuſſâ profluxerunt aquæ, quibus reficiebantur Iſraëlitæ, Ita ex Chriſti crucifixi latere manavit ſanguis, quo reficiuntur credentes in ipſum: confer *Auguſtinum* in *Pſal.* 77. Porrò manuæ ſymbolo offerebatur Chriſtus, licèt ob defectum fidei non recìperetur: vide *Auguſt.* contra Adverſar. Legis, *lib.* 20. *cap.* 6 & *epiſt.* 102.

Ver. 5. ἐκ εὐδόκησεν.] μείωσις eſt, pro, exoſus habuit, & deteſtatus eſt.

Ver. 6. τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν.] quatenus ſcilicet Deus in his Iſraëlitarum pœnis, nobis ſimiliter peccantibus propoſuit quandam quaſi imaginem pœnarum noſtrarum; in iiſque tanquam in typo quodam expreſſit, quid nobis expectandum ſit, ſi, ut illi, peccemus. τοῦτα: ſcilicet, hæ pœnæ, quas inflixit Deus Iſraëlitis. ἵνα μὴ, &c. explicat quomodò typi extiterunt noſtri: ἐπιθυμητὰς κακῶν: Ratiocinantes ſcil. à paribus peccatis ad pares pœnas.

Ver. 7. μηδὲ εἰδωλολάτραι. ſcilicet, convivia Idololatrica cum Idololatris celebrantes, ſicuti liquet ex allato exemplo; *Exod.* 32. 6.

Ver. 8. πορνεύωμεν:] Contigna ſcil. ſunt vitia Idololatria & fornicatio, vide *Num.* 25 1, 2. εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες, At *Moyſes* viginti quatuor numerat, *Num.* 25. 9? *Reſp.* Alii hunc nodum ita ſolvunt, ac ſi *Paulus* de certo numero non eſſet aut certus aut ſollicitus; viginta tria, inquiunt, intellige circiter, hoc eſt ſuprà 23, infrà 24 millia. Aliter; Numerus mi-

nor majore continetur : Appositissimè *Iunius* in *Num.* 25. *Paulum* populares tantùm gladio confossos numerare ; *Mosen* etiam Primores populi suspensos : popularium gladio occisorum viginti tria millia erant ; Primorum suspendio interemptorum mille 1 : confer *Num.* 25. 4. 5.

Ver. 9. μηδὲ ἐκπειράζωμεν.] eum quasi ad certamen provocantes, *ver.* 22. quod ii faciunt, qui scientiâ suâ præfidentes in apertum, tùm Idololatriæ, tùm ex eo Iræ divinæ periculum se conjiciunt : confer *Num.* 21. 5. 6.

Ver. 10. γογγύσατε.] Sunt qui hæc ad historiam illam *Coræ*, *Num.* 16. referunt ; alii, & fortassis rectiùs, ad illam totius populi murmurationem, *Num.* 14. ὀλοθρευτοῦ, confer *Exod.* 12. 23.

Ver. 11. τύποι.] scilicet respectu nostri : sunt enim nobis proposita ut exemplaria Divinæ Justitiæ ac severitatis. εἰς οὓς τὰ τέλη, &c : ac proindè in sæculo depravatissimo vivimus : confer *Mat.* 24. *Luc.* 17. 1 *Tim.* 4. 2 *Tim.* 3. 2 *Pet.* 3. 3.

Ver. 12. ὅστις.] id est, cùm hæc ita se habeant : ὁ δοκῶν, id est, qui stultâ opinione suâ nixus videtur sibi : ἑστάναι, id est, extra aleam Judicii Divini positus : videat ne cadat, scil. subitò oppressus vindictâ divinâ. Aliter : Qui inani scientiæ, fideique suæ opinione præfidens, se in apertum Idololatriæ periculum conjicit, *ver.* 22. existimans nullum esse tantum periculum, quin possit ipse se scientiâ & fide suâ securum, tutumque à lapsu conservare, βλεπέτω, id est, caveat, ne cadat, scil. tentatione victus.

ctus. ἐστάναι: Metaphora à conflictu, frequens in Scripturis: confer *Rom.* 5. 2.

Ver. 13. πειρασμὸς.] Tentatio alia est probationis, ut in cruce; alia seductionis, quæ ad peccatum tendit: Cujus generis etiam sunt afflictiones omnes à Satana proficiscentes; huc enim tendunt omnes, ut nos ad peccandum inducant: Divinæ autem tentationes sunt meræ probationes fidei, sive amoris nostri. Ego hîc tentationem accipio sensu generali, ut significet, non solùm afflictiones & persecutiones ab impiis exortas, sed quævis etiam ad peccandum incitamenta, quasvis sollicitationes. ἀνθρώπινος: humanam dicit, vel quæ ab hominibus oritur, opponens eam Diabolicæ; vel etiam quæ possit ab homine sustineri viribus naturalibus; vel denique quæ ab humana cujusque imbecillitate oriatur. *Theophylactus*, humana, id est, exigua quædam & mediocris; humanam enim ubique *Paulus* tenue quiddam atque exile appellat: cohærent ista cum præcedentibus hoc modo; προληπτικῶς enim præoccupat *Paulus* quod *Corinthios* objicere posse prævidit: sic enim illi, quid nos territas inanibus spectris, quasi verò nos cadere possemus: ecce nos tentationes planè multas sustinuimus, nec tamen collapsi sumus: itaque videmur extra periculum futuri lapsus constituti? Respondet *Paulus*; quòd adhuc substitistis, non ex robore profectum est vestro, sed ex eo, quòd leviusculæ fuerunt tentationes vestræ, quòd si graviores fortè acciderint, vereor quidem ut stetis, vide *Theophylactum*. ὃς οὐκ

ἐάσει,

ἐάσει, &c. πρόληψις adhuc altera, quà monet non planè abjiciendos animos ratione protectionis divinæ, sed tantùm deprimendos spiritus respectu virium suarum. Timere itaque jubet respectu nostri; confidendum docet respectu Dei, σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν. Num hoc præstet semper Deus? *Resp.* Semper; respectu mediorum: statim enim aut vires largitur ad sustinendum sufficientes, aut liberationem planè maturam: sic *Paulo* exitum dedit scil. ex malo tentationis, etsi non auferendo tentationem ipsam, attamen vires largiendo ad sustinendum, superandumque sufficientes, 2 *Cor.* 12. 8. 9.

Ver. 14. ἀπ' εἰδωλολατρείας.] id est, à Conviviis Idololatricis, his enim interesse Idololatriæ species est, id quod probat parium collatione, *ver.* 16. 17. 18.

Ver. 16. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας.] Hujus Hebraismi Epitheti explicatio additur proximis verbis; ideò enim poculum benedictionis appellatur, quòd benedicitur à Ministris; id est, sanctificatur, separatur, denique consecratur usui sacro, scil. ut sit Sacramentum Sanguinis Christi: Metonymia itaque duplex est, Continentis poculi pro contento vino. 2 Adjuncti, ideò enim vinum benedictionis dicitur, quia adjunctum habet benedictionem: Hebraismus frequentissimus; 3 item subjecti, nam vinum pro vini potatione ponitur. οὐχὶ κοινωνία ἐστι, id est, Significat, declarat, indicat, denique instrumentaliter efficit, atque exhibet. οὐχὶ, interrogatio fortiùs affirmat. κοινωνία, id est, ut *Piscator* interpretatur,

pretatur, efficax teſſera communis illius juris, quod habemus ad ſanguinem Chriſti, communique illius fruitionis: Ratio ſic habet: Qui pane & vino Dominicis communicant, & inter ſe, & cum Chriſto communicant; ergò, qui conviviis Idololatricis communicant, Idolis ſimul, & Idololatris participant.

Ver. 17. εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν. id eſt, quaſi unus panis, & quaſi unum corpus; Enunciatio Metaphorita; ut ſicuti in unum panem grana multa, in unum corpus membra multa coaleſcunt; ſic nos multi hoc ſymbolo in unum Chriſti corpus myſticum coaleſcimus. ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν, ſcil. Sacramentali: Ratio ſic eſt: Qui ex uno, eodemq; pane participant, ii unum ſunt inter ſe; Nos pane uno participamus: Ergò, unum ſumus corpus inter nos.

Ver. 18. τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα.] ſic vocat eos, vel quia carnis, non item ſpiritus filii erant: confer *Rom.* 9. 7, 8. *Rom.* 2. 28. vel quia carnalem tantùm, hoc eſt, externum cultum Deo præſtabant, qualis ſcil. carnis, hoc eſt, corporis operâ præſtari poterat. κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου, id eſt, ſacrificii, metonymia ſubjecti; & ſacrificii, id eſt, cultus; Synecdoche generis: Summa hujus loci ſic eſt: ut Chriſtianus ſacramentali illo convivio communicans, & Chriſto, & Eccleſiæ Chriſti unitur; utque qui victimas *Moſaicas* comedebant, illius cultus & populi participes erant; ſic qui Idolothytis veſcitur in ſacro Idolorum convivio, profitetur ſe atque

indicat, Idolis eorumque cultu communicare.

Ver. 19. τί οὖν φημι,] παρέλκυσις. εἴδωλον τί ἐστὶ, id eſt, vim aliquam numinis habere. ὅτι εἰδωλόθυτον τί ἐστίν; Interrogatio vim habet negandi, id eſt, religione aliquâ Idoli imbutum eſſe.

Ver. 20. δαιμονίοις θύει.] Non quidem intentionaliter, ſed tamen quoad eventum: putabant illi ſe Deum colere, at Dæmonia coluerunt.

Ver. 21. ποτήριον δαιμονίων.] id eſt, quod in honorem Dæmoniorum bibitur. τραπέζης, id eſt, cibi ſive convivii, Metonymia ſubjecti.

Ver. 22. ἢ ζηλοῦμεν.] παρέλκυσις altera, ad excuſationes *Corinthiorum* præoccupandas: ſic enim illi; nos cum amicis neceſſitudinis retinendæ cauſâ ad convivia hæc accedimus? *Reſp.* At Deum interim zelotem ad vindictam provocatis.

Ver. 23. πάντα.] ſcil. hæc, de quibus nunc agimus.

Ver. 25. πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ.] id eſt, quodvis cibi genus, ſive ſit Idolis immolatum, ſive non; Teſtatur *Auguſtinus in epiſt. ad Rom.* conſueviſſe proſtare venales etiam carnes immolatitias, eas nimirum quæ ſupererant, quarum pretium ad Sacerdotes redibat: *Bezam* vide. ἐσθίετε, id eſt, licebit edere, ut *Gen.* 2. 16. & *Gen.* 3. 2. ἀνακρίνοντες, id eſt, non percontantes antequam ematis, ſitne illud quod venum proponitur Idolothyton, an ſecus. διὰ τὴν συνείδησιν, id eſt, quaſi non poſſitis bonâ conſcientiâ ejuſmodi carnes edere.

Ver. 26. τοῦ γὰρ Κυρίου ἡ γῆ, &c.] Ἀπολογία, quam ſic explicat

explicat *Beza*: Tota terra, id eſt, uniuerſi mundi populus nunc in Dei conceſſit ditionem, ſublatâ macerie illâ ſeparatitiâ, *Eph.* 2. Itaque lex illa de ciborum diſcrimine ſublata eſt, & per conſequens quovis cibi genere uti licet. Aliter *Piſcator*, eum conſule; item 1 *Tim.* 4. 4.

Ver. 28. ἐὰν δέ τις.] ſcil. frater infirmus. τῷ γὰρ Κυρίῳ, &c. Αιτιολογία hoc loco ſic habet: Abſtinete, quia Domini eſt tota terra; licet itaque vobis aliunde ventrem explere; vobis enim patent omnia, & nihil eſt intercluſum.

Ver. 29. τὴν τοῦ ἑτέρου.] ſcil. τῇ συνειδήσει. ἵνα τί γὰρ ἡ ἐλευθερία μου.] id eſt, non committendum eſt, ut libertas noſtra damnetur, cùm poſſimus hoc abſtinendo impedire. ἐλευθερία, id eſt, libertatis uſus: κρίνεται, id eſt, damnatur. ὑπὸ ἄλλης συνειδήσεως, fratris ſcil. infirmi, id eſt, ab altero propter conſcientiam, id eſt, conſcientiæ offenſionem, & ſcrupulum per hoc factum tuum illi injectum.

Ver. 30. χάριτι.] id eſt, Beneficio Dei, hoc vel illo cibo uti mihi licet, non committendum, ut hoc Dei beneficium meâ culpâ mihi vitio vertatur. βλασφημοῦμαι, id eſt, maledictis impetor tanquam qui ſim profanus.

THESES.

EXterna Sacramentorum participatio non vindicat ab ira divina, à *ver.* 1. ad 6.

Qui ſcelere communicant, pœnâ etiam communicabunt, à *ver.* 6. ad 12.

Cum Idololatris in cultu ſuo nullatenus communicandum.

Conviviis, aut in univerſum exercitiis Idololatricis non licet Chriſtianis intereſſe, quia præſentia eſt communicatio quædam in cultu, *ver.* 14. 15. 16. 17. Communicatio autem cum Idolis, eſt communicatio cum Dæmoniis, *ver.* 19. 20. 21.

Non licet cum ſcandalo fratrum infirmorum adiaphoris uti. vide Rationes in Analyſi.

FINIS *Capitis Decimi.*

CAP. XI.

Cap. XI.

Dixerat ſuprà *cap.* 10. *ver.* 33. ſe ſuâ uſum eſſe libertate non ad ſuum ſolius, ſed ad alienum commodum: hinc infert eos itidem ſic ſuâ uti, frui libertate oportere, ut reliquis prodeſſe poſſint: Ratio conſequentiæ eſt; quòd gregem oporteat paſtorem in bonis ſequi; ergò, & ipſi debent *Paulum* hâc in re imitari; quia ſcil. ipſe Chriſtum imitatus eſt: confer *Rom.* 15. 3.

Reliquæ iſtius Capitis partes præcipuæ ſunt duæ, prima, De decenti virorum mulierumque in conventibus Eccleſiaſticis habitu, ad *ver.* 17. 2 De recta Cœnæ Dominicæ adminiſtratione.

Ad primam præfatur *ver.* 2. laudatione utens obſervantiæ eorum: deinde duo docet mixtim, 1 Dedecori eſſe viro, capite aperto eſſe dum peraguntur ſacra, Ratio eſt *ver.* 3. quia caput mulieris vir eſt, id quod illuſtrat comparatione ſimilium; ut Chriſtus viri caput eſt, & Deus Chriſti; ſic vir etiam mulieris eſt caput, ac proinde eminentiæ ſignum præ ſe ferre debet, & per conſequens capite aperto eſſe, quia hoc eminentiæ ſignum tum fuit. 2 Mulierem velato capite oportere eſſe: Ratio, Si turpe ſit mulieri ſi tondeatur, aut radatur, tùm etiam aperto capite eſſe in ſacris; nam paria ſunt tonderi, & aperto capite eſſe, *ver.* 5. at turpe

est mulieri si tondeatur, aut radatur, *ver. 6.* Ergò, veletur.

Ver. 7. Ad viros regreditur; docetque virum capite operto potiùs esse: Ratio, quia est imago & gloria Dei.

Ver. 8. Mulieres iterum aggreditur, velamen iis urgens; Ratio, quia gloria est viri, cui subjicitur. Syllogismus est: si signum virilis potestatis in se, mulieres in capite gestare debent, tùm & velari eas oportet; est enim velamen subjectionis signum; At verum primum, *ver. 10.* Ergò. Probatur minor: si mulier sit gloria viri, scil ratione subjectionis, tùm signum in se virilis potestatis gestare debet; At mulier est gloria viri, *ver. 8.* probatur Minor: si post virum, & propter virum creata sit mulier, tùm mulier est viri gloria; At verum primum, *ver. 8. 9.* Ergò. 2 Indecens ille alter mulierum cultus offendit Angelos, *ver. 10.* ergò, vitandus.

Ver. 11. 12. ἐπανόρθωσιν continent *ver. 8. 9.* ne nimis abjecisse mulieres videretur.

Ver. 13. 14. 15. Alterum adhuc argumentum est ex judicio ipsius sensus communis, & naturæ testimonio: si natura ipsa mulierem velari debere docuit, tùm veletur; At natura hoc docuit; cùm dederit mulieri comam prolixiorem, quod amplificatur dissimilium comparatione in viris. Ergò, velari debet.

Ver. 16. πρόληψις est hoc modo: Si quis hisce nostris argumentis non contentus rixosiùs reluctari velit, rixetur, inquam, per me licet: nobis non libet pugnare.

Ver. 17.

Ver. 17. Secundum conventuum Eccleſiaſticorum defectum redarguere promittit, atque incipit: Tria in ſumma facit, 1 Reprehendit. 2 Terret. 3 Dirigit. Redargutio duplex eſt, prima generalis, *ver.* 17. quòd cum damno ac detrimento ſuo convenerint; 2 Specialis, ubi taxat vitia tria tanquam intertrimenti illius cauſas, 1 Animorum ſive affectionum diſſidia, *ver.* 18. Ac hujus quidem vitii reos arguit, primò, ex teſtimonio fide dignorum, ex quibus iſta audierat. 2 Ex probabili, neque enim uſqueadeò incredibile eſt, eſſe inter vos ſchiſmata, cùm & hæreres eſſe in Eccleſia Dei oporteat; id quod probat ex fine *ver.* 13. 3 Signis, quòd alii alios non expectarent, *ver.* 21. Secundò, Luxuriam taxat, *ver.* 21. Tertiò, Contemptum fratrum tenuiorum, *ver.* 22.

Terret porrò, argumentis præcipuè duobus: 1 Ex peccati gravitate; nam ſanctiſſimum Chriſti inſtitutum violare eos probat, prolatâ in medium ipſius ordinationis formulâ, à *ver.* 23. ad 27. 2 Ampliùs adhuc gravitatem ſceleris demonſtrat; cùm eos corporis & ſanguinis Chriſti reos pronunciet, *ver.* 27.

Denique, Dirigit, præſcribens media, modumque ſanctæ communicationis, *ver.* 28. Præſcriptum ſic habet: Hortatur, ut (ſi dignè velint communicare) ſeipſos explorent penitùs, atque præparent religioſè: Ratio ſumpta eſt à periculo. Si qui indignè communicant, vindictam divinam ſibi accerſant, tùm opera danda ut ſanctè communicemus;

mus ; At indignè vescentes vindictam divinam sibi accersunt, *ver.* 29. Ergò. Minor arguitur tùm æqualitate suâ, tùm signo. Æquitas hæc est : ipsa justitia postulat ut pœnas divinas experiantur, qui non discernunt corpus Domini ; At indignè communicantes non discernunt corpus Domini, *ver.* 29. Ergò. Signo, sive experientiâ communi, sic : Nam hâc ipsâ de causâ inter vos tot infirmi, tot imbecilli, tot denique morte affecti, *ver.* 30. ergò, quicunque indignè manducat, judicium divinum sibi accersit : Antecedens probatur ; Si nosmet explorantes judicium divinum devitemus, tùm ideò punimur, quia non exploramus nos, At si nosmet exploraremur, non judicaremur à Domino. Ergò, Hæc hujus mali causa.

Ver. 31. παράκλησις est ἐπανορθωτικὴ, ad consolationem fidelium : dixerat, Dei judicium ipsam Ecclesiam *Corinthiacam* ob flagitia ista jam premere : ne animos desponderent penitùs fideles metu iræ divinæ, solatium addit, 1 ex Authore Deo, 2 Ex origine sive causâ σεμνυμένη, paterno Dei amore, παιδευόμεθα. 3 Ex fine, sive consilio bono, ut ne damnemur cum mundo. Hæc *ver.* 32.

Ver. 33. 34. Hortaur ad charitatem colendam, & fraternam communionem, societatemque in sacris: Ratione ab effectu contrarii pernitiosi, *ver.* 34. cætera posteà ardinaturum pollicetur.

ΣΧΟΛΙΑ.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 2. τὰς παραδόσεις κατέχετε.] Ecce (inquiunt Papistæ) Traditiones Apostolicas? *Resp.* Agnoscimus: Traditio Apostolica duplex est, Dogmatica de fide & bonis operibus, 2 *Thes.* 2. 15. Ritualis, quæ etiam duplex, Perpetua, qualis illa de ritu baptismi & cœnæ, 1 *Cor.* 11. 23. Temporaria, qualis illa de Abstinentia, *Act.* 15. 28, 29. cæteræque, quæ ad εὐταξίαν externam, & decorum in cœtibus Ecclesiasticis observandum spectârunt; De hujusmodi Traditionibuss hîc *Paulus.*

Ver. 3. ἀνδρὸς ἡ κεφαλὴ Χριστός ἐστι.] Nomen hoc toto loco tantùm eminentiam declarat: Christus viri caput, ratione præcellentiæ, est enim inter fratres suos Primogenitus. κεφαλὴ δὲ γυναικὸς ὁ ἀνὴρ: etiam præcellentiæ & dominii ratione. κεφαλὴ δὲ Χριστοῦ θεὸς, Pater scilicet, qui Christi διανθρώπου, Mediatorisque personam sustinentis caput est.

Ver. 4. κατὰ κεφαλῆς ἔχων.] scilicet, velamen artificiale, quo non caput solùm tegatur, sed facies quadantenùs involvatur: hujusmodi enim velamentis usæ sunt olim mulieres in obedientiæ subjectionisque signum: confer *Gen.* 24. 65. nec enim calvitiem aut rasuram hîc imperat *Paulus* orantibus. κατισχύνει τὴν ἑαυτοῦ κεφαλὴν: non mysticum hîc intelligit caput, sed Physicum, confer *ver.* 5. Quomodo autem caput suum dedecorat? *Resp.* Quatenus ei subjectionis signum imponit dum velatur; cùm aper-

tura capitis ſit dominii indicium; hinc liquet Traditionem hanc *Paulinam* ad particularem illorum locorum, temporumque ἐυταξίαν pertinere: apud nos enim operto capite eſſe Authoritatis indicium eſt, aperto, ſubjectionis: ſic enim Doctores alicubi in Scholis conventibuſque Eccleſiaſticis, operto ſunt capite, dum docent, Auditores, præſertim inferioris ordinis, nudis ſunt inter audiendum capitibus.

Ver. 5. γυνὴ δὲ προσευχομένη, ἢ προφητεύουσα.] Num ergò mulieribus permittit in Eccleſia docere? contra mandatum, *cap.* 14. 34? *Reſp.* Prophetârunt quandoque extra ordinem *Anna*, *Luc.* 2. 38. *Maria*, *Luc.* 1. 46. &c. 2 Prophetant & orant aſſenſum ſecretiorem præbendo: confer *cap.* 14. 16. item 1 *Reg.* 8. 62. ἀκατακαλύπτῳ: κατακαλύπτεσθαι, plus eſt quàm operire; nam pileo tegitur caput, non velatur; ad hoc enim requiritur velamen, quo facies quoque ipſa involvatur & contegatur, *Piſcat.* in *ver.* 7. κατισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς: non Metaphoricum ſive Politicum, ſed Phyſicum, ut ſuprà, id quod Ratio à pari ſubjuncta convincit: ſic enim ratiocinatur; ut Tonſura dedecorat caput mulieris, ſic & capitis denudatio; At tonſura dedecorat caput mulieris, ſcilicet, Phyſicum, ergò. *Qu.* At quomodo dedecorat mulieris caput, apertura? *Reſp.* Synecdochicè intelligendum eſt; dedecorat enim mulierem ejuſmodi capitis denudatio; quâ ratione? quia immodeſtiæ, adeoque abjectæ ſubjectionis Maritalis eam arguit: ut autem modeſtia mulieres cohoneſtat, ſic immodeſtia dedecorat.

Ver. 7.

Ver. 7. εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων.] διὰ δυοῖν, Imago gloriæ, id eſt, Majeſtatis & Dominii Divini; eſt enim Dominus omnium poſt Deum conſtitutus, atque in terra hac quaſi quidam Deus exiſtit, rebus omnibus imperitans. *Quæſt.* Annon etiam mulier imago Dei eſt? *Reſp.* Eſt ſanè, quod ad internas animi qualitates, ut juſtitiam, ſanctitatem, ſcientiam, &c. *Gen.* 1. 27. *Quæſt.* Annon ipſa rebus cæteris dominatur? *Reſp.* Non omnibus, eſt enim ipſa viro ſubjecta ex ordinatione divinâ, *Gen.* 3. 16. γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ἐστι: ſicuti ſubditi dicuntur gloria Regis, Ratione ſcilicet ſubjectionis, illud enim eſt marito glorioſum, quòd uxorem habeat ſibi ſubditam: Alio ſenſu dicit *Salomon*, uxorem induſtriam eſſe mariti ſui coronam: *Prov.* 12. 4.

Ver. 9. διὰ τὴν γυναῖκα.] ſcilicet, ut ei tanquam præſtantiori ſerviret; tamen propter mutuum auxilium uterque creatus eſt.

Ver. 10. ἐξουσίαν.] id eſt, ſignum poteſtatis, quam ſcil. maritus in ipſam habet; Metonymia ſignati: tale autem eſt velamen, *Gen.* 24. 65. διὰ τοὺς ἀγγέλους, id eſt, ut alii, miniſtros Dei nuncios, ut *Hag.* 1. 12, 13. & 5. 6. *Apoc.* 2. & 3. ut alii, Spiritus illos miniſtratorios ſacrorum conventuum ſpectatores.

Ver. 11. πλὴν οὔτε ἀνὴρ.] παράλυψις eſt, quâ & viro ſuadet humilitatem, & mulieri proponit ſolatium. ἐν Κυρίῳ, id eſt, quod ad Deum attinet, ex eo enim æquè uterque exiſtit, *ver.* 12.

Ver. 12. ὁ ἀνὴρ διὰ τῆς γυναικός.] per mulierem, inquit, tanquam propagationis (conſtituto jam re-

rum ordine) instrumentum: [ἐκ] notat principium materiale, [διὰ] causam instrumentalem.

Ver. 14. ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ. *Paulus* rationem habet sui temporis; alioqui sæculis primis intonsos fuisse, *Græcos*, *Gallos*, *Romanos*, testatur antiquitas. κομᾶν hîc significat non simpliciter comam gerere, sed comam prolixam mulierum more nutrire: ἀτιμία αὐτῷ ὅτι: quid ita? quia mulieris speciem induit, & qui ut dominetur est conditus, insignia servitutis admisit: mulieri gloriæ cedit, ἐὰν κομᾷ, quoniam proprium servat, atque institutum: est enim honorabilis cuique suæ conditionis observatio: *Theoph.*

Ver. 15. ἀντὶ περιβολαίου.] id est, ut sit velamen; ἀντὶ itaque hîc finem declarat, ideò enim prolixiores eis dati sunt capilli, ad innuendum eas velamine indigere. Ergò, inquit *Theophylactus*, quorsum velamen artificiosum? *Resp.* Ut non solùm per fidem, sed & voluntate suam profiteatur ipsa servitutem. *Theoph.*

Ver. 16. φιλόνεικος.] ita ut & ritibus & rationibus nostris rixosè velit repugnare. τοιαύτην συνήθειαν, scilicet contentiosè agendi: sive etiam aliter agendi (quod ad habitum attinet) in cœtibus Ecclesiasticis; ut sit novum deinde argumentum à salutari Ecclesiarum omnium, & generatim receptâ consuetudine; q. d. si in hisce rebus ἀδιαφόροις, si non ratio vincat, at valeat saltem communis Ecclesiarum omnium consuetudo, Ecce, inquiunt Rhemenses, non tàm rationibus premit contradicentes, quàm

quàm consuetudine? *Resp.* Immò primò, & præcipuè rationibus, posteà consuetudine. *Qu.* Consuetudo ubi valet, & quantum? *Resp.* Consuetudo non omnis, sed probata, & ab Ecclesiis Dei veris recepta in ritibus externis valet præsertim negativè, non in fidei dogmatibus aut materiâ cultûs divini. Rectéque procedit ratio in ritibus hoc modo negativè; non sunt ritus isti ab Ecclesijs Dei purioribus recepti; itaque à nostris nequaquam admittendi.

Ver. 19. δοκῶ.] Et tamen liberè, si ad authores homines respicias; non enim cogitur voluntas hæretica. αἱρέσεις, ex majori malo certo ac necessario, probabiliter disputat esse minus. χίσματα, propriè sunt animorum dissidia, factionesque de ordine aliquo extrinseco excitatæ; αἱρέσεις sunt de doctrinæ capitibus exortæ factiones & sectæ: δόκιμοι, id est, synceræ miniméque fucatæ pietatis homines; φανεροὶ dum se opponunt doctrinarum corruptelis.

Ver. 20. Κυριακὸν δεῖπνον.] appellat non agapas, quæ humana erant convivia, sed illam Cœnam Dominicam Sacramentalem. οὐκ ἔστι φαγεῖν: usitatâ hyperbole præcisè negat fieri Apostolus, quod à plerisque non ritè fiebat.

Ver. 21. ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει.] Annon hoc licitum? *Resp.* Sanè licet etiam non jejuno communicare, alioqui nec Christus, nec Discipuli ritè celebrâssent, qui finito Paschatis festo, statim Cœnâ Dominicâ communicabant: quod autem hîc taxat tale est, quòd isti sectis inter se dissidentes, ex pub-

licâ & communi totius Ecclesiæ cœnâ, privatum quodammodò convivium effecerunt: non enim simul, ut par erat, omnes communicabant, sed cum sectæ suæ sociis singuli singulas cœnas celebrabant.

Ver. 22. μὴ γὰρ οἰκίας,] q. d. Privatis conviviis privatæ conveniunt domus, si Cœnam Dominicam, ut par est, in cœtu publico celebrare cogitatis, quidni alii alios expectatis? τὴν ἐκκλησίαν, id est, fratres tenuiores, qui sunt Ecclesiæ membra; Ratio, cur non sint temnendi etiam pauperes, est, quia & ipsi sunt membra Ecclesiæ.

Ver. 23. παρέλαβον.] scil. vel in raptu illo, quo de, 2 *Cor.* 12. vel mediatè ab iis qui oculati, auritique testes erant, ut *Luc.* 1. 2.

Ver. 24. τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, &c.] scil. significativè, & per concomitantiam in recto usu. Nam qui (ut par est) symbola accipit externa corporaliter, res signatas etiam sumit per fidem spiritualiter: quot sunt hîc verba, totidem sunt transubstantiationis Papisticæ confutationes.

Ver. 25. Fœdus in meo sanguine, scilicet, sanctum & confirmatum.

Ver. 27. ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος.] quia signo illata contumelia ad signatum pertingit; ut si quis Regis sigillum aut imaginem conspurcaret, læsæ majestatis reus haberetur.

Ver. 29. ἀναξίως.] Indignitas duplex est, Personæ alia, alia tractationis. κρῖμα, id est, pœnam, scil. temporalem, ut exemplis subjectis patet, *ver.* 30.

μὴ

μὴ διακρίνων : nominativus Cauſæ : diſcernere autem dicitur is, qui panem hunc corporis Chriſti ſymbolum convenienti religione tractat ; nec eum ut vulgarem æſtimat, ſed ut uſui ſacro, maximèque ſalutari conſecratum manducat.

Ver. 34. περὶ δὲ λοιπὰ.] ſcilicet, ad ἐντολίαν externam ſpectantia : quid hoc ad fidei dogmata, & eſſentialem formulam adminiſtrandi cœnam ?

THESES.

IN Eccleſiaſticis conventibus habenda decori ratio, propter Angelos, *ver.* 10.

Mulier in publicis Eccleſiæ cœtibus ſubjectionis ſuæ ſigna geſtare debet ; quia eſt gloria viri, *ver.* 7. 8. 9.

Comatum eſſe virum, indecorum eſt : ſic teſtatur natura, *ver.* 14.

Non ſunt ſpernendi pauperes ; quia ſunt Eccleſiæ membra, *ver.* 22.

Grave peccatum eſt, illotis (quod aiunt) manibus myſteria ſacra tractare. Ratio 1, Violatur inſtitutum Chriſti, *ver.* 23. 2 Rei ſumus ſanguinis Chriſti, *ver.* 27.

Præparatio communicationem Dominicæ Cœnæ antecedat : Ratio, Aliter judicium divinum ſaltem temporale accerſemus, *ver.* 29. 30. 31.

FINIS *Capitis Vndecimi.*

CAP. XII.

CAP. XII.

HOc Capite præcipuè de recto ſpiritualium donorum eſu tractatur, *ver.* 1. Regula, ſive Concluſio generalis ponitur, *ver.* 7. ut in commune bonum conferantur; Ratio principalis ſic habet: Quæ ideò dantur, ut in commune bonum conferantur, ea ſunt ad commodum commune referenda; At ideò dantur à Spiritu Dei, ergò. Aſſumptio eſt, *ver.* 7. Argumenta varia ſunt: Primum verſibus ſex primis tractatur: Summa eſt: Quæ à Spiritu Dei uno & eodem profecta ſunt, ea ad commune bonum ſunt referenda; At dona omnia ſpiritualia à Spiritu Dei uno & eodem profecta ſunt. Ergò. Propoſitio tanquam per ſe nota omittitur. Aſſumptio probatur, primò, Hypotheticῶs in perſonis *Corinthiorum*; Illi ſua dona omnia à Spiritu Dei receperunt, Ergò; à Spiritu Dei proficiſcuntur. Antecedens probatur ex comparatione ſtatus ſuperioris; nemo enim ab Idololatria, ad quam impetu quodam fertur, niſi vi Spiritûs Sancti abduci poteſt; At vos olim abducti impetu quodam Idololatriam exercuiſtis, à qua nunc abducti eſtis, ergò, veſtra ſunt à Spiritu Sancto, *ver.* 2. πνεύματος, *ver.* 3. Si nemo poteſt Jeſum ſeriò agnoſcere Dominum ſuum, niſi ex Spiritûs operatione,

ratione, tùm omnia dona cœleſtia ſunt à Spiritu Sancto; At nemo poteſt Jeſum dicere Dominum niſi per Spiritum Sanctum, ergò. Aſſumptio illuſtratur pari comparatione contrarii, ut nemo Spiritu præditus anathema dicit Jeſum, ſic nec eundem agnoſcere Dominum poteſt quiſpiam Spiritu Sancto deſtitutus.

Ver. 4. ἀδιαφορία eſt hujuſmodi: Diverſa ſunt dona, ergò, non ab uno Spiritu profecta ſunt? *Sub.* Etſi ſint inter ſe diverſa, tamen ab uno, eodemque Spiritu proficiſcuntur omnia. Hæc *ver.* 4. 5 6.

Argumentum ſecundum à *ver.* 8. ad 11. ſic habet: Si nemini uni communicantur omnia, ſed ſingula ſingulis ſigillatim, tùm in commune bonum referenda ſunt omnia; At nemini uni conceſſa ſunt omnia, ut patet, *ver.* 8, 9, 10. Ergò. Sequelæ Ratio videtur hæc eſſe; quòd mutuâ neceſſitate inter ſe Eccleſiæ Dei devinciantur, cùm hæc omnia ſint neceſſaria planè, & tamen membris variè diſtributa, ita ut quod uni adeſt, alteri deſit.

Ver. 11. Repetit argumentum primum ab unitate authoris ſumptum; συμπτωτικῶς ſimul innuens rationem varietatis iſtius in ſpiritualibus donis diſtribuendis: ea eſt voluntas diſtribuentis Spiritûs.

Argumentum tertium. Si ſimus omnes unius, ejuſdemque corporis membra, tùm dona noſtra in commune bonum ſunt conferenda; At primum verum: ergò. Minorem primò illuſtrat Simili corporis naturalis συμπτωτικῶς: ut membra corporis naturalis, licèt varia, tamen unum ſunt corpus, ſic eſt

Christus, &c. *ver.* 12. id est, sic nos, etsi multi simus, variisque & donis, & donorum gradibus instructi in Ecclesia, unum tamen sumus cum capite Christo corpus mysticum. 2 Probat ex testimonio Sacramentorum, Baptismi & Cœnæ Dominicæ, quibus ideò omnes ex æquo communicamus, ut testemur nos omnes unum cum Christo & inter nos corpus mysticum esse: Hæc *ver.* 13. sumus itaque unum corpus.

Ver. 14. πρόληψις est: sic enim contra unitatem corporis Christi objici poterat: unitas corporis non potest stare cum varietate membrorum; At membra varia, ergò, corpus non est unum? *Subjectio* est, *ver.* 14. 19. 20. Immò, inquit, etsi varia sint membra, unum tamen est corpus; nam corpus quodque humanum ex variis constat membris; id quod probat per illationem absurdi: si corpus unicum haberet aut esset membrum, tùm valeret hæc ratiocinatio membrorum corporis, ut quia non sint illud unum membrum, ergò, non sunt ex corpore; At non valet hæc ratiocinatio, ergò: exempli causâ: Si pes sic ratiocinetur ex hoc malè posito principio, viz. quòd corpus sit unum membrum, puta manus, quod non est manus, non est ex corpore; At ego, inquit pes, non sum manus, ergò, non sum ex corpore; & sic de reliquis. Absurda est hæc ratiocinatio, ergò, corporis unitatem non tollit membrorum varietas, sed ponit magis, *ver.* 20. 2 Variatum esse oportere membris corpus humanum probat ex variis functionibus & facultatibus quibus

bus indiget corpus: indiget enim corpus idem non visu tantum, sed & auditu & olfactu, ergò, varia oportet esse membra hisce facultatibus exercendis accommodata, *ver.* 17. 18. Hæc θέσις, ἀνάλυσις sic habet: ita etsi nos mystici corporis Christi membra sumus, inter nos variis, diversisque donorum gradibus distincti; non tamen sequitur, non esse unum corpus Christi, aut deserendam esse corporis illius unitatem.

Ver. 21. Quartum proponens argumentum, simul taxat præstantiorum superbiam, eosque à contemptu fratrum infirmiorum dehortatur; Argumento, quòd vel infima, infirmissimaque corporis Christi membra necessaria sunt, & utilia præstantissimis: Rationes imprimis tres sunt, ad summum quatuor, 1 Quæ necessaria sunt, ea non sunt temnenda; At infima Christi membra sunt necessaria, etiam præstantissimis, *ver.* 21. 22. ergò, non temnenda. 2 A similitudine corporis Physici; In corpore naturali membra præcipua, decentissima, validissima pro cæteris sollicita sunt, ut infirmitatem solentur, indecorum ornent, dolori condoleant, ergò, Corporis Christi membra eandem pro se curam & sollicitudinem mutuam præstare debent. Ratio consequentiæ, quia ideò sic contemperavit corpus Deus, ut mutuam pro se membra sollicitudinem gerant: Ἀνάλυσις est, *ver.* 27. θέσις, *ver.* 23. 24. 25. 26. 3 Si Deus hujus ordinis author sit, viz. ut sint inferiores quidam, quidam superiores, &c. Si, inquam, Deus tam inferiorum functio-

num sit author atque concreditor æquè ac superiorum, tùm non sunt temnendi qui infimum obtinent in Ecclesia locum; At Deus ordinis hujus universi in Ecclesia est Author, ergò, non sunt temnendi inferiores à superioribus; Hæc *ver.* 28. 29. 30.

Ver. 31. ζηλοῦτε est hoc modo: Ergò videris omne præcellendi studium nobis præripere, cùm nos jubeas ad infimos spectare, eorumque curam suscipere? *Subject.* Immò, inquit, utilissima suadeo, adeoque præstantissima, quæque ambiatis. *Ob.* Quorsum itaque hæc de his tàm multa? *Resp.* Ut vobis vitam optimam, præstantissimamque ad id quod quæritis quasi manu ducentem, ostendam: charitatem intelligit.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. Ἀγνοεῖν.] id est, rudes & ignaros esse, à quo scilicet, & in quem finem sint vobis donata, q. d. Tumor ille præstantiorum, & inferiorum invidentia argumento est, vos aut nescire aut oblitos esse quis sit & author & finis donorum spiritualium.

Ver. 2. ἔθνη.] sic vocat *Gentes*, à fœdere alienas, phrasi Scripturâ usitatissimâ, vide *Eph.* 2. 11. 12. *Rom.* 2. 14. εἴδωλα τὰ ἄφωνα, simulachra intelligit Deorum fictitiorum. ὡς ἂν ἤγεσθε, id est, quasi dicat, quovis impellente, suadente, jubente, consulente; brutorum instar, quocunque prærierit ductor, sequentes.

Ver. 3.

Ver. 3. διὸ, &c.] Illativa particula: ſenſus eſt; Quandoquidem ante vocationem veſtram ita cæco impetu ad Idolorum cultum abripiebamini, conſtat hinc ea, quibus nunc polletis, ſpiritualia dona, à Spiritu Sancto profecta eſſe: ἐν πνεύματι Θεοῦ λαλῶν: id eſt, ex inſtinctu Spiritûs Sancti. εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν: id eſt, ut Dominum ac Deum ſeriò agnoſcere. *Ob.* Dæmones hoc vociferantur, *Mar.* 1. 24. & alibi? *Reſp. Theophylactus*, coacti verberibus, non ſponte. 2 Quid prohibet, quandam Spiritus illuminationem etiam Dæmonibus contingere? non eam quidem ſalutarem, ſed quæ excuſatione privet; vide *Heb.* 6. 4.

Ver. 4. Διαιρέσεις δὲ:] eſt enunciatum diſcretum: quanquam varia ſunt dona, tamen Spiritus qui donat, idem eſt.

Ver. 5. διακονιῶν.] Functiones intelligit Eccleſiaſticas ædificationi Eccleſiæ deſtinatas.

Ver. 6 ἐνεργημάτων.] vulgò intelligunt aut ipſa opera miraculoſa, aut edendi miracula facultatem. τὰ πάντα, non univerſim omnia, ſed omnia hæc ἐν πᾶσιν, ſcilicet, in quibus facultates iſtæ ſunt: cautè hoc intelligendum eſt, nec enim Deus facultatem miracula edendi inhærentem cuiquam elargitur, ut rectè hîc *Beza*: [ἐν] itaque notat cauſam inſtrumentalem, & eam quidem paſſivam, vide *Bezam*.

Ver. 7. ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος.] id eſt, Donum Spiritûs, quo ſcilicet Spiritus ſuam declarat præſentiam: Metonymia effecti.

Ver. 8. λόγος σοφίας.] Intellige donum ſapienter,

prudenterque eloquendi, atque applicandi singulis, quæ ipsis sunt ad præsens accommodata; sive solatium, sive hortationem, sive terrorem, &c. confer *Isa.* 50. 40. quod donum pastoribus videtur esse proprium. λόγος γνώσεως: ut scienter & peritè possit fidei mysteria ex sacris literis δογμάτως docere; hoc Doctorum fuit in Scholis.

Ver. 9. πίστις.] Non dogmatum, sed signorum, inquit *Theophylactus*, quæ vel montes, cùm eduntur, traducendi vim habeat; *Mat.* 17. 20. *Luc.* 17. 6. quod vel hinc patet, quòd fides illa salvifica non datur paucis solummodò Ecclesiæ membris, ut ista, sed omnibus & singulis electis communis est.

Ver. 10. ἐνεργήματα δυνάμεων.] intellige κατ' ἐξοχὴν miracula potentissima, & præ cæteris eminentia; qualia illa erant *Mosis* in Ægypto, *Eliæ* in *Israële*, &c. Duplex hîc oritur quæstio, 1 Utrum facultatem edendi miracula cuivis homini communicet Deus? *Resp.* Nequaquam; tunc enim simul communicaretur potentia Dei, quæ est infinita, sed dari dicitur illis potestas edendi miracula, ratione fidei, quâ impetrant à Deo, ut is edat miracula; aut quatenus ipsi singulari revelatione divinam voluntatem de miraculis edendis intelligentes, eam hominibus declarant: Edere itaque miracula dicuntur, quatenus impetrant à Deo ut edantur. 2 Quid interest inter fidem miraculorum, donum sanationis, operationem virtutum? *Resp.* Fides est causa sive medium generale miraculorum omnium: Reliqua duo sunt effecta fidem consequentia; per fidem

fidem enim impetratur ſanatio ægritudinum, & operatio potentiarum. *Inſt.* At datur donum ſanationum, & operatio potentiarum ei cui non datur fides aliquando? *Reſp.* Nego: Datur quidem ſanandi poteſtas iſta ei, cui non datur operatio miraculorum, & contrà; At utrique fides conceditur tanquam commune medium, quo miracula iſta impetrantur, adeoque eduntur. Obſerva quòd non dicit ἑτέρῳ πίστις, ἑτέρῳ χάρισμα ἰαμάτων, &c. ſed ἑτέρῳ πίστις, ἄλλῳ δὲ χάρισμα ἰαμάτων, *Photius* & *Oecumenius* abuſivè inquiunt, vocat effectum nomine rei, ſcilicet, miracula appellans fidem. *Rhemenſes* hîc annotant, fidem hanc miraculorum ſubſtantiâ eandem eſſe cum fide ſalvifica, & tantùm accidentali qualitate differentem, &c. Abſurdè, cùm poſſit hæc eſſe ubi fides ſalvifica nulla eſt, *Mat.* 7. 22.

Ver. 10. προφητεία.] id eſt, vel donum futura prænonſtrandi, quo pollebat *Agabus*; vel etiam Scripturas interpretandi, ſcilicet infallibiliter. διακρίσεις πνευμάτων: id eſt, non tantùm doctrinarum, ut 1 *Ioh.* 4. 1. quod omnibus Chriſti fidelibus certâ quâdam menſurâ commune eſt, 1 *Cor.* 2. 15. ſed & motuum interiorum & animorum. vide *Act.* 5. 3.

Ver. 11. ἰδία.] *Auguſt. lib. de Trin. & unitate Dei cap.* 8. legit ἴδια, id eſt, quæ ſua ſunt propria, ac quorum proinde poteſtatem habet plenam quiſpiam, ut ea pro arbitrio diſtribuat: nam de ſuo quod vult faciat Spiritus: *Mat.* 20. 15. καθὼς θέλει: *Theoph.* quemadmodum vult ille, ſic facit: Tu verò quis es, cui Spiritus non placeant facta?

Ver. 12.

Ver. 12. ὕτω καὶ ὁ Χριστός: Christum intellige cum corpore suo, Ecclesiâ: Synecdoche membri.

Ver. 13. ἐν ἑνὶ πνεύματι.] [ἐν] pro [διὰ] id est, vi & operatione, & beneficio Spiritûs Sancti, εἰς ἓν σῶμα, id est, ut essemus unius, ejusdemque corporis mýstici membra: εἰς ἓν πνεῦμα, id est, ut ejusdem Spiritûs Sancti nos vivificantis participes fieremus.

Ver. 22. ἀσθενέστερα.] id est, Abjectissima, ut 2 *Cor.* 12. 10. Metonymia efficientis: τὰ δοκοῦντα, videntur enim, non sunt.

Ver. 24. συνεκέρασε τὸ σῶμα.] id est, uno quodam temperamento inter se conjunxit, adeoque conglutinavit. δοὺς τιμὴν, id est, constituens ut plus deficienti honoris tribuatur. τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων, ut cùm talo spina inhæserit universum sentit corpus dolorem, & curationem adhibet; nam & caput inclinat, flectitur simul & dorsum, venter & femora contrahuntur, intuentur oculi accuratiùs, & educere manus quod talo inhæserit, studet, &c.

Ver. 27. μέλη ἐκ μέρους.] id est, non membra universa, sed membrorum pars aliqua; nam omnes Ecclesiæ per orbem diffusæ, sunt totidem Ecclesiæ universalis membra: est itaque correctiò, sive revocatio sui-ipsius.

Ver. 28. δυνάμεις.] id est, θαυματέργους, Metonymia effecti & efficientis: ἀντιλήψεις, Intellige Diaconos pauperibus sublevandis præstitutos; & viduas, quibus ægrotorum cura demandata est: vide *Act.* 2. 3. 4.

Ver. 31.

Ver. 13. ὁδὸν.] ſcilicet, quâ ad præſtantiſſima dona perveniatur: Synecdoche ſpeciei, via ponitur pro medio. ὁδὸν καθ' ὑπερβολὴν. id eſt, viam præſtantiſſimam, maximéque compendiariam, vide 2 *Cor.* 4. 17.

THESIS *principalis.*

DOna ſpiritualia in commune bonum ſunt conferenda. Rationes, 1 Quia ab uno eodemque Spiritu proficiſcuntur. 2 Quia ideò data, ut in commune proſint. 3 Æqualis & mutua neceſſitas noſtra; nec enim cuiquam uni omnia, & ſingulis aliqua conceduntur. 4 Omnes ſumus ejuſdem corporis myſtici membra myſtica. 5 Hoc nos docet vox naturæ ipſius in membrorum corporis naturalis pro ſe mutuâ ſollicitudine.

Minùs principalis.

Non ſpernendi, qui ſunt tenuiſſimi in Eccleſia, quod ad dona attinet ſpiritualia. Rationes, 1 Quia & horum dona quantulacunque ſunt neceſſaria. 2 etiam horum Author & Effector Deus.

FINIS *Capitis Duodecimi.*

CAP. XIII.

HAbet hoc Caput Charitatis Chriſtianæ commendationem eximiam: Argumenta commendationis præcipua tria ſunt, primum, Neceſſitas, neceſſaria enim hæc eſt ad cæterarum virtutum commendationem, adeoque acceptationem coram Deo; ad *ver.* 4. 2 Effectus præſtantiſſimi, quos proponit Apoſtolus, 1 negativè, 2 affirmativè, ad *ver.* 8. 3 Durabilitas, quâ cætera omnia præſentis vitæ dona præcellit: Argumentum hoc tertium ſic habet. Quæ cæteris donis abolitis ſemper perſtat, ea eſt cæteris virtus præſtantior; At charitas cæteris donis abolitis ſemper perſtat: Ergò. Minorem probat inductione ſpecierum, donorum ſcilicet abolendorum: ſunt ea, 1 Prophetiæ. 2 Linguarum. 3 Scientiæ dona: Hæc eſſe abolenda probat ab adjuncta imperfectione: ſic, Quæ imperfecta ſunt, adventu perfectionis abolebuntur, *ver.* 10. At hæc dona ſunt imperfecta, *ver.* 9. ergò; hæc dona abolebuntur, *ver.* 8. Majorem probat ſimilitudine quâdam ex moribus infantis pueri: quemadmodum, inquit, mores & ſtudia puerilia, virili ſumptâ togâ, evaneſcunt, utpotè perfectioribus & ſtudiis & moribus concedentia; ſic conditio hæc noſtra præſentis vitæ, imperfecta cùm ſit, demum perfectiori adventante ſtatu

ſtatu abolebitur. Minorem de imperfectione donorum præſentium ampliùs declarat in ſpecie unâ, ſcilicet, cognitione: hanc eſſe imperfectam, ac proinde abolendam oſtendit ſimilitudine duplici, 1 viſionis per ſpeculum, ubi umbræ tantùm rerum, & ſimilitudines cernuntur. 2 Intellectûs per ænigmata, eſt autem ille obſcurus admodum; At in vita futura clarâ cognitione prævidebimus; ergò, tùm imperfecta hæc cognitio abolebitur, *ver.* 12. Demum fide etiam & ſpe durabiliorem eſſe charitatem pronunciat, *ver.* 13.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. γλώσσαις τῶν ἀγγέλων.] id eſt, Linguis pulcherrimis, quales eſſent Angelorum, ſi loquerentur: ſynecdoche ſpeciei hyperbolica: confer *Pſal.* 78. 25.

Ver. 2. πᾶσαν τὴν πίστιν.] Articulus notat certam quandam fidei ſpeciem, eam ſcilicet quam dicunt miraculoſam, ut liquet ex eo, quod ſubjungitur: reſpicit illud Chriſti, *Mat.* 17. 20. hinc inferunt Papiſtæ, fidem poſſe ab operibus ſeparari? *Reſp.* primò; Conditionalis propoſitio nihil ponit in eſſe. 2 Fides hæc miraculoſa (qua de hîc Apoſtolus) à charitate ſeparari poteſt; ut & hiſtorica, & temporaria; non tamen fides juſtificans. *Inſt.* Omnis fides poteſt, ergò, & illa quam juſtificantem dicitis? *Reſp.* [Omnis] non hîc ſumitur diſtributivè pro

omnigenâ, ut alibi; sed collectivè, ut ita dicam, pro perfecta & partibus suis, atque gradibus omnibus completâ, quasi dicat, quicquid uspiam fidei est θαυματούργοις, si illud omne in unum conferretur, atque in me esset, &c.

Ver. 4. οὐ περπερεύεται.] *Arrianus* in Epictetum, *lib.* 3. πέρπερον appellat τὸν πάντα μεμφόμενον, πᾶσιν ἐγκαλοῦντα, μηδέποτε ἡσυχίαν ἄγοντα, quod vitium Latini proterviam nominant: sunt qui levem, inconstantem, præcipitem reddunt: πέρπερος dictus quasi περιφορὸς, à περιφέρεσθαι.

Ver. 5. οὐκ ἀσχημονεῖ.] Nihil sibi indecorum putat dummodò proximo serviat, vel inhonesta tormenta haudquaquam ducit pro ignominiosis & turpibus, ejus gratiâ, cujus amore detineatur, vide Christum, *ver.* 12. 2.

Ver. 6. συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ.] id est, ut *Theoph.* aliorum probitate congaudet, & ad veritatis successum maximè gratulatur, eundemque sibi ducit ad gloriam: nulla est igitur inter malos charitas, sed conjuratio potiùs.

Ver. 7. πάντα στέγει, &c.] quæ scilicet ferri, credi, sperari, sustineri bonâ conscientiâ & possunt & debent.

Ver. 8. γνῶσις καταργηθήσεται.] γνῶσιν *Beza* hîc intelligit illum τῆς γνώσεως λόγον, quo de *cap.* 12. 8. notitiam scilicet mysteriorum salutis, quâ quis eam scienter, & peritè explicare valet: Rectiùs notitiam, sive cognitionem in genere intelligas, ut patet *ver.* 12. Hîc quæritur, quomodo cognitio in vita futu-

ra

ra abolebitur? nam perficietur potiùs, quàm abolebitur, *ver.* 12. *Resp.* Notitiæ intellige non habitum, sed qualitatem tantùm & quantitatem: Aliter enim cognoscemus, & perfectiùs quàm nunc: & alibi, scientia, inquit, ipsa non abolebitur, immò perficietur, sed ratio cognoscendi & docendi cedet ipsius Dei contemplationi; Notitia itaque, id est, Notitiæ adipiscendæ ratio, ipsiusque jam acquisitæ abolebitur imperfectio. *Inst.* Atqui hoc modo etiam charitas abolebitur? Ergò, hæc ἀπροσδιόνυσα; *Resp.* Negatur antecedens; nam charitatis acquirendæ, & perficiendæ medium & hîc, & in futuro idem; notitia scilicet Dei, illiusque amoris sensus, *Rom.* 5. 5. At notitiæ adipiscendæ ratio planè alia tùm erat: Hîc per verbi ministerium accenditur lux notitiæ; illâ in Deo ipso omnia contemplabimur.

Ver. 12. δι' ἐσόπτρου.] Metaphora; specula non rem ipsam, sed rerum imagines intuentibus objiciunt. ἐν αἰνίγματι, Ænigma dicitur oratio obscura, & quasi involucris quibusdam obtecta. *Inst.* Ergò. Evangelica doctrina omnis obscura? *Resp.* primò, iis qui pereunt, 2 *Cor.* 4. 4. 2 Iis, quorum oculos non illuminavit Spiritus Dei. *Inst.* At nos, inquit *Paulus*, obscurè cernimus, se reliquis annumerans? *Resp.* Comparatè sunt hæc intelligenda, respectu ad futuram illam & cœlestem, quam expectamus, Dei contemplationem; atque hujus respectu, scientia omnis nostra planè ignorantia censenda est. πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, id est, clarâ & perfectâ cognitione.

καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην, similitudinem notat, non æqualitatem; observandum enim est discrimen inter perfectionem Creatoris, & Creaturæ.

Ver. 13. μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη.] Non quidem simpliciter, sed κατά τι, scilicet, quoad durationem; id quod illud [μένει] hîc declarat, q. d. in hoc præsentis vitæ statu suam quandam durationem habent spes & fides, sed majorem longè charitas, utpote quæ etiam post hanc vitam durat. Major fide & spe duplici respectu, 1 Utilitatis, quia pluribus prodest; 2 Durabilitatis. *Ob.* Ergò, inquiunt Papistæ, justificat? *Resp.* Non sequitur: non enim fides ob præstantiam suam justificat, sed ratione objecti sui quod apprehendit: non propter dignitatem, sed propter officium suum apprehendendi Christum, justitiam nostram, justificare dicitur fides: atque hoc officio, ut munere superior est fides charitate.

THESES *unica.*

CHaritas cæteris omnibus Dei donis quadantenùs excellentior. Vide Rationes in Analysi.

FINIS CAPITIS XIII.

CAP. XIV.

Cap. XIV.

HUjus Capitis partes præcipuæ tres, prima, à *ver.* 1. ad 26. In qua id agit, ut *Corinthios* linguarum dono turgeſcentes, ad Prophetiam ſectandam potiùs adhortetur: eſt itaque Concluſio hujus loci comparativa hoc modo: Prophetandi facultati ſtudendum magis quàm linguarum dono: Rationes pleræque ſunt à comparatorum loco petitæ; prima ſic habet, Si qui linguâ peregrinâ, nec ab audientibus intellectâ loquitur, hominibus non proſit; qui prophetat autem variam affert audientibus commoditatem, tùm prophetiæ danda opera potiùs, quàm linguis; At linguâ loquens hominibus non loquitur, id eſt, perindè facit ac ſi non loqueretur, quia non intelligitur; prophetans hominibus loquitur ad ædificationem, ſolatium, hortationem, &c. Ergò, Prophetiæ opera danda potiùs quàm linguis. Minoris utramque partem probat, *ver.* 2. 3. 4. primò, loquentem linguâ peregrinâ nemini prodeſſe loquelâ ſuâ, *ver.* 2. quia nemo audit, id eſt, percipit aut intelligit, id quod enunciat diſcretè; quanquam myſteria loquitur Spiritus afflatu, tamen dum non intelligitur nemini quicquam prodeſt. 2 Prophetantem aliis prodeſſe, inductione ſpecierum illorum, quæ affert, commodorum, *ver.* 3. Ratio

Ratio ſecunda eſt *ver.* 4. 5. ſic, Si qui linguâ loquitur, ſe ſolùm ædificat, qui autem prophetat, etiam Eccleſiam ædificat; tùm potiùs prophetiæ ſtudendum, quàm linguis; At qui linguâ loquitur, ſe ſolùm ædificat, prophetans, Eccleſiam, ergò. Aſſumptio eſt *ver.* 4. Concluſio, 5.

Ver. 5. θέλω δὲ eſt hoc modo: Num ergò linguarum aut donum, aut ſtudium nobis diſſuades? *Reſp.* Immò, inquit, optarim ut omnes linguâ loqui poſſitis; hoc tantùm dico, magis optabilem eſſe prophetiam; id quod probat à majori prophetantis præſtantiâ, & utilitate, *ver.* 5.

Ratio tertia, *ver.* 6. Si lingua ſine aliquo propheticæ facultatis officio nihil proſit, tùm prophetia magis optanda, quàm lingua; At prius verum, *ver.* 6. Ergò, ſecundum, Minorem probat ipſorum teſtimonio, quod interrogando per Rhetoricam ἀνακοίνωσιν extorquet; tùm ſimili illuſtrat è re Muſicâ tùm Domeſticâ tùm Militari: ut enim qui tibiâ canit, aut tubâ clangit, niſi quid & quorſum canitur, intelligatur, planè inutilis eſt, *ver.* 7. 8. Ita qui linguâ loquitur non intellectâ, fruſtrà loquitur, & quaſi aërem verberans, *ver.* 9.

Ratio quarta ab Abſurdo: Si linguâ peregrinâ loquens barbarus ſit audienti, tùm linguâ peregrinâ ſine interpretatione non eſt utendum; At linguâ peregrinâ loquens barbarus eſt audienti, *ver.* 11. Ergò. Minor probatur ex varietate linguarum, ſive idiomatum, quæ pro Gentium numero & varietate ſunt pænè innumeræ, *ver.* 10.

Ver. 13.

Ver. 13. Concluſio hujus loci repetitur talis; Ergò, inquit, qui loquitur linguâ, precetur ut interpretetur; id quod probat ex communi fine horum & donorum Dei & ſtudiorum noſtrorum; eſt autem finis ille, Eccleſiæ ædificatio. Ratio ſic habet; Si hunc finem ſpectetis omnes in donis ſpiritualibus ambiendis ut Eccleſiam ædificetis, tùm qui linguâ loquitur orare debet ut interpretetur; Ratio ſequelæ, quia aliàs hunc finem non aſſequetur; At hunc finem in ambitu veſtro ſpectatis, aut ſaltem ſpectare debetis, *ver.* 12. 13. Ergò.

Ver. 15. Sequela propoſitionis probatur, quia aliter infructuoſa erit omnis actio tua, ſive doceas, ſive pſallas, ſive preceris; προλαμβάνεται autem proponitur hæc Ratio, ſpiritus precatur, ergò, Interpretatio non tanti facienda? *Reſp.* primò, per Conceſſionem; *ver.* 14. Spiritus quidem precatur; 2 per Correctionem; At ſententia precum tuarum infructuoſa eſt aliis, itaque nihilominùs curanda, & comparanda interpretandi facultas, ut & alii intelligant, *ver* 15. ubi Ratio nova adjungitur ab incommodo; niſi ita linguâ loquaris in precibus, aut cantu, aut gratiarum actione, ut intelligaris, qui idiotæ locum tenet, non poterit, ut par eſt, aſſenſum ſuum præbere; At idiotæ ſuum præbere, teſtarique conſenſum debent, *ver.* 16. Ergò. Propoſitionis ſequela probatur; quia non intelligit quid dicas; ergò, non poterit rectè conſenſum præbere, *ver.* 16.

Ver. 17. εὐχαριστεῖς eſt: Ego rectè gratias ago etiam-

ſi non intelligar, ergò, non tanti facienda intelligentia? *Reſp.* eſt primò, Conceſſione Antecedentis. 2 Negatione Sequelæ; nam in precibus publicis, & cum aliis, aliorum etiam ædificationi ſtudendum, *ver.* 17.

Ratio adhuc nova ab ipſius exemplo, amplificata collatione imparium: Si ego qui linguas plus calleo, quàm vos omnes, ita ædificationi ſtudeo, ut malim quinque verba ad ædificationem aliorum loqui, quàm infinita linguâ ignotâ, tùm vos operam dare debetis, ut per interpretationem linguarum Eccleſiæ Dei prodeſſe poſſitis; At prius verum, *ver.* 18. 19. Ergò.

Ver. 2. Ratio altera; Contrarium factum ignorantiam planè puerilem arguit; At vos non decet ignorantia puerilis. Ergò.

Ver. 21. 22. Subnectitur Argumentum alterum; quod ſic habet; Si linguæ peregrinæ ſigno ſint divinæ in infideles vindictæ, tùm non ſunt in cœtu fidelium adhibendæ ſine interpretatione; At linguæ perigrinæ ac non intellectæ ſunt ſigno divinæ erga infideles iræ, ver. 22. ergò. Minor probatur, *ver.* 21. teſtamento ex *Ieſaia* prolato, *cap.* 28. 11. vel potiùs comparatè inſtituenda eſt Ratio: Si linguæ ſignum ſint iræ in infideles, Prophetia amoris erga fideles, tùm huic potiùs, quàm illis ſtudendum; At prius utrumque verum, *ver.* 21. 22.

Argumentum 10, ab effectu tùm inutili linguarum, tùm utili prophetiæ: loquentes linguâ in cœtu eccleſiaſtico furere videbimini idiotis; prophetantes,

tantes, ad humilem potentiæ divinæ ſeſe in vobis exerentis confeſſionem pertrahetis; ergò, prophetiæ potiùs, quàm linguis operam navare debetis, *v.* 23. 24. 25.

Ver. 26. τί ἐστιν; eſt; quid ergò faciendum ſuades in linguis, reliquiſque quibus nos ornat Deus, donis? *Reſp.* Generalis hæc Regula eſt; fiant omnia ad ædificationem: Speciales Regulæ ſequuntur, 1 De linguarum uſu. 2 De prophetia. De linguarum uſu Regulæ ſpeciales ſunt, 1 Ut in cœtu uno non excedant ternarium numerum loquentes. 2 Ut tres iſti per vices loquantur. 3 Ut ſit qui interpretetur. *Ob.* Quid ſi non ſit qui poſſit interpretari? *Reſp.* σιγάτω ἐν ἐκκλησίᾳ, & ſecum ipſe loquatur, *ver.* 27. 28. De prophetandi ritu ac modo Regulæ ſunt, 1 De numero loquentium. 2 De officio ſilentium, ſcil. ut ipſi judicent, *ver.* 29.

Ver. 30. τί ἐστιν eſt, quid ſi cui prophetæ ſilenti Deus aliquid repentino Spiritus afflatu revelaverit? *Reſp.* Loquatur, inquit, ille, ſileto alter. *Ver.* 31. τί ἐστιν altera eſt, At tres tantùm in conventu unico loqui jubes? *Reſp.* & tamen omnibus facio loquendi per vices poteſtatem; cujus rationem aſſignat duplicem, 1 Quia ut omnes diſcant, ut omnes hortationibus excitentur, æquum eſt; At niſi omnes per vices loquerentur, eſſent qui nunquam diſcerent, ſed ſemper docerent, ergò. 2 Omnium prophetantium Spiritus judicio Prophetarum ſubjiciendi, adeoque examinandi ſunt; At niſi omnes loquantur, hoc non fiet, ergò, omnes per

vices loqui possunt, *ver.* 31. 32.

Ver. 33. Ratio istius ordinis præscripti generalis redditur; quia, nisi hic ordo observetur, tumultus orientur in conventibus.

Secunda jam sequitur Capitis pars: Habet autem illa interdictum; quo cavetur ne quid audeant in sacris conventibus mulieres, aut docendi, aut discendi gratiâ eloqui. Ratio duplex, prima, quia subjici oportet: 2 quia αἰσχρὸν, *ver.* 35. πρόληψις est, ergò, non licet mulieribus de rebus ad salutem spectantibus interrogare? *Resp.* Licet domi non publicè in Ecclesia, *ver.* 34. 35.

Tertia superest Capitis pars; Ea est Conclusio hujus totius loci de ordine in conventibus Ecclesiasticis observando. Hujus Conclusionis partes duæ. 1 Anticipat superborum prejudicium, *ver.* 36. 37. πρόληψις sic habet; Nos spiritales cùm simus, de his rebus indicare possumus, ut non sit tibi opus tuam interponere sententiam? *Resp.* 1 Non vos soli verbi Dei gnari estis; etiam & nos, & alios dignatus est Deus cognitione spiritali. 2 Non sunt hæc mea, sed Dei mandata, id quod probat Prophetarum apud vos & spiritualium judicium. 3 Si nolitis agnoscere, quod libuerit facite, *ver.* 38.

Secundò, hortationem repetit, quâ hortatur ad spiritualium donorum studium, cautelam tamen unicam subjungit, ut quæ fiant, ordine & decenter fiant, *ver.* 39. 40.

ΣΧΟΔΙΑ.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. ἵνα περισσεύητε. id eſt, Scripturas Propheticas interpretemini.

Ver. 2. ὁ λαλῶν γλώσσῃ.] ſcilicet, peregrinâ, *Act.* 10. 46. Synecdoche generis, & Metonymia efficientis: οὐκ ἀνθρώποις λαλεῖ, id eſt, perinde ſe habet, ac ſi non loqueretur hominibus; neque enim illi quicquam inde utilitatis hauriunt: ἀλλὰ τῷ Θεῷ, id eſt, ad gloriam quidem Dei, ut *Rom.* 14. 6. Senſus eſt: Etſi qui linguâ loquitur perigrinâ, Dei quidem linguarum Authoris gloriam quadantenùs illuſtrat, tamen homines quod attinet, quorum commodo & utilitati linguæ inſervire debent, nihil illis adfert loquelâ ſuâ emolumenti. Alii aliter: vide *Bezam* & *Fulconem*. *Rhemenſes* linguam peregrinam hîc interpretantur, linguam ipſi quidem loquenti ignotam, & non intellectam: Aliter *Chryſoſtomus* in *ep.* 1 *Cor. Hom.* 35. Aliter *Photius* & *Ambroſius*; Aliter ipſe *Paulus*, ὑδεὶς γάρ, inquit, ἀκούει: quid quod, qui linguâ ſibi quidem notâ, populo autem non intellectâ loquitur, hominibus audientibus æquè eſt inutilis, ac ſi ipſe non intelligat, confer item *ver.* 4. ubi ſic Apoſtolus: Qui linguâ loquitur ſeipſum ædificat; At ſi ipſe linguam non intelligat, ne ſe quidem ipſe ædificat; ergò, agit Apoſtolus de linguis loquenti quidem notis, audientibus peregrinis. *Ob.* Deum ſi ſpectes, & ipſum loquentem, nihil intereſt, intelligaturne lingua, an ſecùs, ergò, in preci-

bus licet perigrinâ, & precanti linguâ ignotâ uti; Deus enim omnes intelligit linguas, unde Apostolus, Θεῷ λαλεῖ. *Resp.* Quàm hoc planè abhorret ab Apost. instituto? nam cùm ille instet, urgeatque ut linguâ non utamur nisi intellectâ, quàm hoc ἀπροσδόνυσον, ut dicat perinde esse utrum intelligatur, an non? 2 Et illud falsum, ipsum precantem æquè ædificari, si non intelligat: nam quod non intelligitur, quomodò ædificat? 3 Illud [Θεῷ λαλεῖ] malè exponitur per [Deus intelligit] sensus est ut suprà; οὐδεὶς γὰρ ἀκούει, id est, intelligit, Hebraismus Metonymicus frequens, vide *Gen.* 11. 7. πνεύματι δὲ, &c. id est, afflatu Spiritûs Sancti, illiusque dono singulari.

Ver. 5. μείζων γὰρ, &] Major scilicet, sive Ministerii spectes præstantiam, sive etiam fructum, sic *Math.* 11. 10.

Ver. 6. ἐὰν ἔλθω.] id est, *Rhem.* Si prædicavero, & non addam interpretationem, inutilis futurus sum. *Resp.* Venire pro prædicare quis unquam legit? 2 Quid si legat, & non interpretatur, annon perinde erit inutilis?

Ver. 11. δύναμιν τῆς φωνῆς.] significationem intellige. βάβαρος, id est, tanquam Barbarus, quia non intellectus, *Ovid*: [Barbarus] hîc ego sum, quia non [intelligor] ulli.

Ver. 12. οὕτω καὶ ὑμεῖς.] *Theophylactus* hæc ut ἀπόδοσιν superioris προτάσεως ex aliorum sententia subnectit: sic & vos, id est, linguis loquentes & obscurè, Barbari videmini audientibus. πνευμάτων, id est πνευματικῶν. ἵνα περισσεύητε, hoc sic reddit *Theophylactus*; Adeò nihil

nihil prohibeo linguis vos eloqui, ut abundare velim dicendi copiâ, ſi modò illas ad communem utilitatem exerceatis.

Ver. 14. τὸ πνεύμά μου προσεύχεται.] id eſt, Spiritus donum illud & afflatus partes ſuas agit, &c. *Theoph.* Spiritus, id eſt, gratia quæ linguam agitat. ὁ ἐμὸς νοῦς μου ἄκαρπός ἐστι, id eſt, conceptus mei precantis, ſive ſententia precationis meæ, confer infrà *ver.* 19. ἄκαρπός ἐστι, ſcilicet, Non mihi, *ver.* 4. ſed alii. *Rhemenſes* ſic inferunt, ergò, etiam qui non intelligit, Spiritu, corde, affectu, rectè ad Deum preces fundit, tametſi mens & intelligentia non capiat eum fructum, quem poſſet capere, ſi vim vocis intelligeret? *Reſp.* Sophiſma eſt ex prava expoſitione, nec enim Spiritus hoc loco cor & affectum ſignificat, ſed Spiritus donum, ſicuti *Chryſoſtomus* in 1 *Cor. Hom.* 35. *Theodoretus* & *Photius* ad hunc locum. *Inſt.* At Apoſtolus non mandat, ut qui non intelligit linguam peregrinam, quærat qui transferat in vernaculam? *Reſp.* Etſi non totidem verbis, tamen tantundem dicit, dum jubet orare ut interpretetur, *ver.* 13. & ſi non poſſit is, aut alius quiſpiam præſens interpretari, ſilere jubet, *ver.* 28. quod ſi [Spiritus] affectum ſignificet, vide quid dicat Apoſtolus, *ver.* 15. Precabor non ſpiritu tantùm, ſed & intelligentiâ.

Ver. 16 ἐὰν εὐλογήσῃς.] id eſt, Si gratias egeris, ut patet poſtremâ verſûs parte.

Ver. 19. σὺν νοΐ μου λόγους.] id eſt Pauciſſima; μυρίους, id eſt, Plurima, ut ſuprà *cap.* 4. 15. Synecdoche ſpeciei hyperbolica. *Ver.* 20.

Ver. 20. ἐν ἑτερογλώσσοις.] vide *Bezam* & *Piſcatorem* teſtimonium *Iſaiæ* conferentes: continent verba illa Prophetæ non tàm exprobrationem infantiæ Judæorum, quàm comminationem Judicii ob contemptum verbi; confer *Deut.* 28. 49. *Ier.* 5. 15. *Ezech.* 3. 5.

Ver. 22. εἰς σημεῖόν εἰσιν.] Non quod editur ad conſolandum pios, ſed ad puniendum impios; ſignum non gratiæ, ſed iræ divinæ.

Ver. 24. ἐλέγχεται.] id eſt, convincitur de peccatis, & erroribus ſuis.

Ver. 25. τὰ κρυπτὰ.] Occulta, ſcilicet, & ſenſa & facta.

Ver. 29. Δύο ἢ τρεῖς.] Hypotheticè dictum, ſcil. ubi tot fuerint Prophetæ

Ver. 30. ἄλλῳ.] ſcilicet, Prophetæ.

Ver. 32. πνεύματα προφητῶν.] id eſt, vel doctrinæ ipſæ, 1 *Ioh.* 4. 1. vel docendi facultates; vide ſuprà *cap.* 12. 10. προφήτου, id eſt, Prophetarum ex verbo Dei judiciis.

Ver. 33. ἀκαταστασίας.] id eſt, incompoſiti ſtatus, ſive tumultuationis, &c.

Ver. 36. ἢ ἀφ' ὑμῶν, &c.] q. d. Num vos aut primi, aut ſoli fideles eſtis; oportet igitur ut vos iſtis acquieſcatis, quæ mihi & cæteris Eccleſiis ſunt comprobata; ſaltem Judicium aliorum nolite contemnere.

Ver. 27. πνευματικὸς.] id eſt, in rebus ſpiritualibus cognoſcendis ac dijudicandis eruditus.

Ver. 38. ἀγνοείτω.] id eſt, Hanc ſuam ignoranti-

am

am agnoſcat, & non turbet Eccleſiam, ſed peritiorum Judicio acquieſcat; vel potiùs contemnitor ejuſ tanquam ignari judicium. Unde enim turbæ magnâ ex parte, niſi quòd imperiti nolunt imperiti eſſe, ſed peritorum locum occupant?

Appendix ad ver. 6.

Quid illa? Prophetia, Revelatio, &c. vide quæ *Beza* hîc ſcripſerit.

Quæſtio de ſacris vernaculè peragendis.

Sacra ita peragenda ſunt, ut à ſingulis præſentibus (ſi fieri poſſit) intelligatur quid agatur. Rationes, prima, Si ita peragenda ſunt ſacra, ut ad univerſam Eccleſiam, & cœtum fidelium utilitas accedat, tùm linguâ ſingulis notâ ſunt peragenda; At verum primum, *ver.* 6. 7. 8. 9. 26. Ergò. Conſequentia patet, quia non intellecta non proſunt, *ver.* 6. At ſacra linguâ peregrinâ peracta non intelliguntur, *ver.* 2. Ergò. 2 Ita peragenda ſunt ſacra, ut totus cœtus etiam idiotarum conſenſum ſuum præbeat; At niſi intelligatur quid dicatur, non poſſunt dicere Ἀμὴν, *ver.* 16. Ergò. 3 Si linguæ peregrinæ ſint ſignum divinæ in populum vindictæ, tùm vernaculè ſunt peragenda ſacra; At prius verum, *ver.* 21. 22. Ergò. Confer veteris Eccleſiæ conſuetudinem, apud *Originem* contra *Celſum*, *lib.* 8. *Baſilium*, *ep.* 62. Clerum *Neocæſarienſ.* Concilium *Lateranenſe* ſub *Innocennio* 3. *cap.* 9.

Contra Rhemenſes audiantur Rationes.

Fundamentum hoc loco iſtiuſmodi ponunt; ſcil. Apoſtolum hîc non de lingua Græca, Hebræa, Latina

na loqui; ſed tantùm de iis, quæ per miraculum conferebantur Eccleſiæ Primitivæ, linguis; At non hujuſmodi Hebræa, Græca, Latina; Ergò harum etiam non intellectarum uſum in Eccleſiis non prohibet *Paulus*. Prob. Minor: quibus aſſueti ſunt Judæi, Græci, Romani, quæque ſine extraordinario Spiritûs dono, intelligi atque explicari tùm poterant, eæ non ſunt è numero linguarum miraculoſè collatarum; At ejuſmodi erant Hebr. Gr. Lat. linguæ? Ergò. *Reſp.* Nego fundamentum: nam de quovis linguæ non intellectæ vel loquenti, vel Eccleſiæ, de quovis, inquam, linguæ genere hîc agit Apoſtolus, ut liquet, *ver.* 2. 6. 7. 8. 9. 10. 11. &c. 2 Negatur Minor; nam & Hebraicè, & Græcè, & Latinè poſſe loqui aliquibus per miraculum conceſſum eſt. Ad prob. part. primam; etſi à multis intellectæ ſunt hæ tres linguæ; tamen non omnibus. Ad part. 2. Poterant quidem nonnulli, ſed non omnes ſine Spiritûs dono, has linguas interpretari: Denique, quævis lingua non intellecta, etſi non in ſe, tamen quoad non intelligentem eſt Barbara, ut *Paulus*, *ver.* 10. 11. *Primeſius*, *Ovid. Cicero Tuſc.* 5. In his, inquit, linguis, quas non intelligimus, quæ ſunt innumerabiles, ſurdi profectò ſumus.

Argumenta.

Primum, Si ſacra ejuſmodi linguâ ſunt peragenda, quæ à tota Eccleſia Catholica ubique locorum intelligi poſſit, tùm non propriâ cujuſque gentis linguâ, ſed potiùs Latinâ; At verum primum? ergò. *Reſp.* Negatur Minor: Non neceſſe eſt ut pre-

ces,

ces, &c. concipiantur linguâ omnibus gentibus notâ, aut uſitatâ; nam primò locis, habitationibuſque diffiti ſumus. 2 Sufficit ut ita formentur, & peragentur ſacra, ut intelligantur quæ aguntur ab iis apud quos, & in quorum gratiam concipiuntur preces. 3 Fatemini ultrò, non Hebraicè ſolùm, aut Latinè, ſed & Græcè ſcripta eſſe, quæ ſcripta ſunt.

Secundum Arg. Si *Paulus* ad *Romanos* Græcè ſcripſerit, tùm non eſt neceſſe, ut linguâ intellectâ vernaculâ peragantur ſacra; At verum primum, Ergò? *Reſp.* Non ſequitur; nam Græcam linguam plerique *Romæ* degentes Sancti intelligebant. 2 Non *Romæ* natis, aut degentibus ſolùm ſcripſit *Paulus*, ſed omnibus in univerſum Gentibus, quarum Apoſtolum ſe profitetur. 3 Scribens Græcè *Paulus* non prohibet reddi Latinè, Gallicè, Anglicè. 4 Si hanc Rationem ad Categoricam formam reduxeris, inanis planè erit Ratiocinatio: ſic enim ſe habet Ratio; quâ linguâ ſcriptum eſt verbum Dei, eâ ſolâ proponendum eſt in cœtu Eccleſiaſtico; At ſolâ Hebræa, Latinâ, Græcâ ſcriptum eſt: Ergò. *Reſp.* Negatur Major; nam Evangeliſtæ & Apoſtoli citantes in ſcriptis ſuis Scripturas Hebraicas, Græcè reddunt, Immò ſi qua fortè Hebræa vox inciderit, eam ſtudioſè interpretantur; ut *Mat.* 1. 23. *Mar.* 5. 41. & 15. 22. 34. *Ioh.* 1. 39. 42. & 9. 7. *Act.* 4. 36. & 9. 36. & 13. 8. *Hebr.* 7. 2. confer item omnia quæ ab ipſis citantur ex veteri inſtrumento teſtimonia.

Tertium Arg. Si fidem, charitatem, ſanctitatem non ædificet uſus ſacrorum in lingua vulgari, immò deſtruit potiùs, tùm non ſunt linguâ notâ peragendâ; At verum primum, nam olim Patres noſtri ſapientiores, fideliores, &c. quàm noſtri nunc ſunt? Ergò. *Reſp* Negatur Minor: Ad probationem dicitur; 1 Non eſſe uſqueadeò verum quod dicitur, majores noſtros, ſcientiâ, fide, pietate, &c. noſtris anteceſſiſſe. 2 Diſputas à non cauſa tanquam à cauſa; nam quòd abundet iniquitas, & refrigeſcat charitas, in cauſa eſt, non ſacrorum intellectus, ſed cordis pravitas.

Arg. quantum: Si ſacrorum pars quælibet ex opere operato proſint, tùm non eſt neceſſe ut linguâ notâ peragantur; At verum primum, nam alioqui pendebit ſacrorum vis & efficacia ex intellectu noſtro, &c? Ergò. *Reſp.* Negatur Minor: ad probat. negatur Sequela; nec enim ſunt iſta ſufficienter enumerata, aut ex opere operato, aut ex intellectu noſtro, cùm tertium dari poſſit, ſcil. Spiritûs Sancti gratia. 2 Diſtinguitur Minor; etſi enim non totaliter & principaliter pendeat ſacrorum vis & efficacia ex intellectu noſtro, tamen neceſſarius eſt ad eorum tùm fructum percipiendum, tùm rectam præſtationem, intellectus percipientium.

Arg. quintum: Si alia iniri Ratio poſſit, quâ populus ædificetur, & commodior, & minùs periculoſa, tùm non hæc inſtituenda; At verum primum; nam diſcere quivis poſſunt linguam Latinam, aut ſaltem habere qui interpretentur? Ergò. *Reſp.* 1. Negatur

Negatur Sequela; nam Regiâ viâ in divinis insistendum est. Nulla commodior, nam quæso annon eam intellexit *Paulus? Inst.* At minùs periculosa; quia populus malè interpretando sæpè errat, quod non faceret, si Latinè tantùm legeret? *Resp.* Eadem fallacia, à non causa; non enim ideò errant, aut malè interpretantur, quia linguâ notâ legunt; sed propter innatam aut ignorantiam, aut instabilitatem, aut loquitur *Petrus*, 2 *Pet.* 3. quòd si ad formam syllogisticam ita reduxeris, facilè conspicietur fallacia; sic enim habet: Quicquid id est, quo sublato, impeditur falsa Scripturæ interpretatio, id tollendum est; At sublatâ linguâ vernaculâ in sacris, tolleretur falsa Scripturæ interpretatio? Ergò. *Resp.* 1. Limitanda est Major dupliciter, 1 Nisi Deus manere jubeat. 2 Et nisi bonum aliud impediatur. 2 Negatur Minor: nam & sublato vernaculæ linguæ usu, maneret falsa interpretatio.

Fundamentum secundum.

Non agit hîc Apostolus de litourgia publica, sed de exercitio quodam privato, quo dona linguarum, prophetiæ, &c. miraculosa exercebantur? *Resp.* Esto: & tamen fundamenta quibus nituntur redargutiones, sunt generalia, qualia sunt illa; omnia fieri debent ad ædificationem, *ver.* 26. At nisi intelligatur quid dicatur, ædificatio nulla futura est, *ver.* 16. 17. Ergò.

Ob. Quodcunque exercitium Ecclesiasticum jam sublatum est quoad usum suum; ejus abusus & reprehensio non pertinet ad Ecclesiam præsentem;

At hoc tale? Ergò. *Resp.* Negatur Major: nam si similes extent in cultu nostro abusus, similes ad nos spectant reprehensiones; ut in Judaicis patet Sacrificiis. *Ob.* 2, Si *Corinthii* hoc tempore cultum suum publicum exercebant linguâ Græcâ,& popularibus suis intellectâ, tùm nihil hîc de publica litourgia; At verum primum? Ergò. *Resp.* Negatur Sequela: 1, nam quædam dicuntur in Scripturis ad abundantiorem cautelam. 2 Quis nobis probet singula in publico *Corinthi* acta, Græcè peracta fuisse? *Ob.* 3. Si in publica liturgia unica usi sunt linguâ, in hoc autem exercitio (quo de Apost) pluribus, tùm nihil hîc de publicâ liturgia; At verum primum? Ergò. *Sol.* 1 Negatur Sequela. 2 Negatur etiam assumptum: nam quis nobis probet unicæ linguæ usum hoc tempore permissum esse in cœtu publico? Apostolus certè etiam peregrinarum linguarum usum concedit, dummodò sit qui interpretetur, *ver.* 27. *Ob.* 4. Si in publica liturgia, non habuit quisque linguam suam, interpretationem suam, &c. in hoc habuit; tùm non hîc de publica agitur liturgia; At verum primum? Ergò. *Resp.* 1 Negatur Sequela: nam dato quòd in specie agat de abusu privati alicujus exercitii, non tamen sequitur vitia theticè reprehensa, non item vitia esse in publicis exercitiis. 2 Negatur Minor; nec enim quisque habuit donum suum, &c. Loquitur enim Apostolus Hypotheticè. *Ob.* 5. Si publicæ liturgiæ semper adjuncta est Eucharistia, huic exercitio non item; tùm non de illa agitur; At verum

rum primum ? Ergò. *Sol.* Negatur 1 Sequela, ut ſuprà, 2 Minor. *Ob. 6.* In hoc exercitio, quo de *Paulus*, loquebantur mulieres ; At in liturgia non ? Ergò. *Sol.* 1. Antecedens unde liquet ? nam non tàm reprehendit factum *Paulus*, quàm monet ne fiat. 2 Si non taxat mulieres in publico cultu loquentes, ergò, nihil obſtat quò minùs in publico loquantur mulieres.

Poſitio Tertia.

De privatis non hîc agit *Paulus* : Ratio, *Paulus* agit de precibus inſtinctu Spiritûs extraordinario, & de novo conceptis ; At preces populi privatæ non ſunt tales ? Ergò. *Reſp.* Non de iis agit in ſpecie ; tamen etiam eas ſub regula de ædificatione generali, & conſenſu diſtincte præbendo comprehendit.

Arg. nova.

Quam linguam ſolam ſanctificavit Chriſtus in cruce, eâ ſolâ peragenda ſunt ſacra ; At Hebr. Græ. Latinam ſolas ſanctificavit in cruce Chriſtus ? Ergò. *Reſp.* 1 Negatur Major, 2 Minor. Neque enim actus ille *Pilati* ſanctificavit linguas iſtas ; & cæteræ quoque per Spiritum ſanctæ ſunt : *Act.* 2.

Arg. alterum : Pueruli *Hoſanna* canentes Chriſto non intellexerunt quid dixerunt, & approbati ſunt ? Ergo. *Reſp.* Quis id probet, non intellexiſſe infantes illud *Hoſanna* ſuum, cùm linguæ vernaculæ propria vox fuerit ? & num cenſes eos ut pſittacos hæc acclamâſſe ?

FINIS *Capitis XIV.*

CAP. XV.

Cap. XV.

CApitis hujus tres ferè partes ſunt, 1 Proœmium, *ver.* 1. 2. 2 Tractatus, ad *ver.* 58. 3 Concluſio, *ver.* 58. In Proœmio attentionem ſibi comparat, 1 à natura doctrinæ; eſt ea Evangelii pars quædam: 2 ab adjuncta ipſorum & fide, & conſtanti profeſſione. 3 Ab effectu utili, ſalute ſcilicet; cujus tamen conditionem neceſſariam proponit, ſcil. ut retineant, &c. ubi quartum eſt attentionis Argumentum, ſcilicet, à neceſſitate retentionis. Hæc. *ver.* 1. 2.

Tractatus capita tria ſunt, 1 Eſſe mortuorum reſurrectionem, ad *ver.* 35. Ratio primaria ſic habet, *ver.* 12. Si Chriſtus prædicatur ex mortuis excitatus eſſe, tùm erit mortuorum reſurrectio; At Chriſtus prædicatur excitatus eſſe à mortuis, Ergò. Aſſumptum probat, *ver.* 3. Ego, inquit, prædicavi reſurrexiſſe Chriſtum, ergò, prædicatur reſurrexiſſe; περιπτικῶς proponitur hæc probatio. *Inſt.* At non quod tu prædicas ſtatim eſt verum? *Reſp.* At quod eſt ſecundum Scripturas prædico, & juxta ſenſuum ipſorum teſtimonium id verum eſt; At hoc & Scripturis convenit, & oculati teſtes plurimi conteſtantur, ergò, verum eſt, *ver.* 9. ſe demum annumerans teſtibus ἀυτοπτῶν, & ſuperbiæ crimen anticipat humillimâ peccatorum confeſſione, & Apoſto-

Apoſtolatum tamen à contemptu vindicat, 1 ex conſideratione Authoris Dei. 2 Effectuum & fructus, *ver.* 10. *Ver.* 11. Reſumitur Aſſumptio prima, Et ego, inquit, & ille prædicavimus Chriſtum reſurrexiſſe, ergò; prædicatur reſurrexiſſe.

Ver. 13. Ratio primaria ponitur: Si non ſit reſurrectio mortuorum, tùm nec Chriſtus excitatus eſt; At Chriſtus excitatus eſt, id quod probat ex abſurdis conſequentibus ſententiæ contrariæ: nam 1 Inanis noſtra prædicatio. 2 Inanis fides veſtra. 3 Falſum teſtimonium noſtrum. 4 Nulla à peccatis redemptio. 5 Planè perierunt, qui Chriſto confiſi mortui ſunt: Hæc a *ver.* 13. ad 19. At hæc omnia ἀδύνατα, ergò, reſurrexit Chriſtus, ideoque reſurrecturi ſunt & cæteri mortui.

Ver. 19. Ratio nova ab abſurdo novo: Si reſurrectio nulla, tùm nec vita futura, & per conſequens miſerrimi omnium Chriſtiani; At hoc non: Ergò.

Ver. 20. Probatio eſt conſequentiæ primariæ ἀναπόδεικτος: nam quo modo (dicat aliquis) ex Chriſti reſurrectione infertur noſtra? aut quî ſequitur, quoniam Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus? *Reſp.* Probatur Sequela, 1 comparatione ſimilium: Chriſtus enim ſe habet ad ſuos, ſicuti primitiæ ad reliquum cumulum; At in primitiis reliquus cumulus fructuum ſanctificatur, ergò, hi Chriſti fideles reſurgent. 2 A pari, nam ſi unius hominis, ſcil. *Adami* lapſu morti fiant obnoxii, quid ni Chriſti vitâ vivificari poſſint fideles? Hæc ad *ver.* 23.

Ver. 23. ἀνάλυσις nova; Si vi reſurrectionis Chri-

ſti fideles reſuſcitabuntur, cur, jamdiu ſuſcitato Chriſto, non reſurgunt qui ſunt Chriſti? Ratio duplex, 1 ex decoro, ordo enim quidam hîc obſervandus eſt; ut Chriſtus tanquam primitiæ primus reſurgat, ſicuti primitiæ in agris primò decerpuntur, poſteà reliquæ fruges. 2 Ex neceſſario, puta ex hypotheſi ordinationis divinæ: non enim antè reſurgere par eſt, quàm adveniat tempus illud à Deo decretum; At hoc nondum venit, nec verò veniet uſque ad ſæculi conſummationem, *ver.* 24. 26. Aſſumptionis ratio; quia nondum ſubjecit ſibi Chriſtus cæteros hoſtes ſuos antè ſubjiciendos neceſſariò, quàm mortem; At Chriſtus ſibi omnia ſubjicere debet, quia ei omnia ſubjecit pater, *ver.* 27. Ergò, nondum futurus eſt finis, nec proinde reſurrectio.

Ver. 27. Exceptio eſt προλημπτικὴ, ne quis autumet ipſum Patrem Chriſto ſubjectum eſſe: id enim abſurdum eſſe duo probant. 1 quia author, & dator ſubjectionis illius Pater eſt; At qui dat, eò quòd dat, ſuperior eſt accipiente, *ver.* 27. 2 Ex contrario, Filius ipſe Patri ſubdendus eſt; ergò, Pater non eſt Filio ſubjectus: Antecedens patet ex fine, ut Deus ſit omnia in omnibus, *ver.* 28. Hæc προλημπτικῶς, ex quibus tamen colligitur argumentum novum ad propoſitum principale probandum; à Genere ſumptum: Omnes inimici Chriſti ſunt Chriſto ſubjugandi, ergò & mors, ac proinde futura eſt reſurrectio.

Ver. 29. Altera Ratio, ex facto quorundam: Si nulla

nulla futura eſſet reſurrectio, nequaquam baptizarentur quidam ſupra mortuos; At quidam baptizantur ſuprà mortuos: Ergò.

Ver. 30. 31. Ex facto Confeſſorum: Si nulla reſurrectio, tùm non periclitarentur Chriſti fideles ſingulis momentis; At periclitantur; ergò id quod probat exemplo ſuo, & jurejurando confirmat.

Ver. 32. Ex facto ſuo: quòd cum beſtiis pugnavi *Epheſi*, inane eſſet, niſi reſurrectionis mortuorum ſpes eſſet; At hoc non eſt inane; Ergò. Item ex abſurdo, nam tùm Epicureorum valeret ſententia; hîc voluptatibus indulgendum, quia vita poſt hanc nulla; At hoc profanum; ergò.

Ver. 33. 34. Loco aſſumptionis, annectit admonitionem quandam ad cautelam ſpectantem, ut iſtiuſmodi Epicureos, eorumque tùm dogmata, tùm mores averſari diſcant: Ratio prima, à periculo pollutionis, *ver.* 33. 2, Ab ignorantia, aut ſaltem impietate iſtiuſmodi doctorum, *ver.* 34.

Sequitur 2ª Tractatûs particula, ad quam per ἀνακάνωσιν quandam περιληπτικὴν tranſit, eamque continuis dialogiſmis figurat. Quæſtio eſt, Quo ſtatu, quali corpore reſurrecturi ſunt mortui? *ver.* 35. *Reſp.* Corpus ſubſtantiâ idem reſurget, at ſtatu, & qualitate diverſis. Rectiùs hîc duas facio quæſtiones, 1 Num poſſibile ſit, ut reſurgant? 2 Num, ſi reſurgant eâdem veſtita qualitate reſurgent? *Reſp.* ad primam, Etiamſi moritur corpus, reſurgit tamen; nam & ſemen terræ mandatum, 1 Moritur, id eſt, corrumpitur, poſtmodum reſurgit; quidni ergò

corpora noſtra mortua, adeoque putrefacta reſurgere poſſent? *ver.* 36. Ad ſecundam, Idem ſubſtantiâ, diverſa tamen qualitate ornatum reſurget corpus, & hanc qualitatis alterationem poſſibilem eſſe Deo, oſtendit ex parium collatione; ſemen non eâdem quâ ſeritur reſurgit figurâ; Carnium heterogeneatum diverſitas multa; cœleſtium gloria alia, quàm terreſtrium, &c. quidni ergò in reſurrectione mortuorum qualitatem novam ſuperinduci corporibus poſſe credatur? ad *ver.* 42.

Ver. 42. &c. Quæ ſint illæ qualitates novæ declarat, 1 ἀφθαρσίαν, ſcil. Incorruptibilitas, gloria, potentia, denique ſpiritualitas. 2 Ex cauſis contrariis, *Adamo* ſcilicet, & Chriſto; ad quarum quidem cauſarum explicationem tranſire videtur per Prolepſin, *ver.* 44. ad hunc modum: Dixerat ſpirituale fore corpus piorum reſuſcitatorum; quæri hîc poterat, ecquod eſt, aut eſſe poteſt corpus ſpirituale? *Reſp.* Eſt ſanè non animale ſolùm, ſed & ſpirituale corpus: id quod cauſis declarat contrariis, *Adamo* primo, & ſecundo, *ver.* 45.

Ver. 46. καινὰς nova; cur in præſenti, corpore veſtimur animali, quod deterius eſt; non niſi poſteà ſpirituali veſtiendi? *Reſp.* Quia ſic diſpoſita ſunt utriuſque principia, *ver.* 46. &c.

Ver. 47. 48. Ex pari collatione cauſarum contrariarum probat corpora noſtra factum iri ſpiritualia; *Adami* prioris, inquit, imaginem geſtavimus in corpore; Ergò, & Secundi imaginem geremus, *ver.* 49.

Ver. 50.

Ver. 50. Idem aliter probat ex conditione corporis præſenti, quam immutari locus ipſe in quo manſuri ſumus poſtulat, *ver.* 50.

Supereſt tertia demum tractatûs particula; hujus concluſio ſic habet. Superſtites in adventu Domini mutatum iri: Hanc thenſin 1 explicat Antitheſi diverſorum: etſi non omnes obdormiemus, inquit, tamen immutabimur omnes. 2 Ex temporis circumſtantia, ſubitò. 3 Ex medio, ſive inſtrumento, tubæ clangore. 2 Probat à pari. Mortui reſurgent incorrupti, ergò, nos qui corrupti ſumus, mutabimur in ſtatum incorruptionis: Conſequentia probatur *ver.* 53. ex neceſſario, nam cùm ſimus pariter omnes corruptioni obnoxii, pariter etiam in cœlum intromittendi, &c. oportet ut pariter omnes corruptione exuantur, &c. quod cùm non poſſit fieri, niſi mutationem quandam ſubeamus, neceſſe eſt ut mutentur qui ſunt ſuperſtites. 2 Probat immutationem hanc corporum noſtrorum teſtimonio *Iſaiæ*; Si mors vincenda, & ſepulchri aculeus eximendus, tùm mutanda ſunt corpora à mutationis ſtatu in incorruptionem; At verum primum, quia ſic ſcriptum, ergò, ſecundum, *ver.* 54. 55. 3 Probatur effectu Chriſti: Si nobis meritus eſt, & impertivit Chriſtus victoriam in peccatum, mortem, ſepulchrum, tùm mutanda ſunt corpora, &c. At nobis dedit Deus victoriam per Chriſtum. Ergò Hoc Argumentum figuratur, primò, σχήμα, *ver.* 56. dixerat, mortis aculeum eximendum. Quæri poterat, Quis hic aculeus mortis? *Reſp.* Peccatum. 2 Δοξολογία.

Ver. 58. Tertia est Capitis pars, scil. Conclusio totius de resurrectione doctrinæ; & ea quidem hortatoria: Hortatur autem ad constantiam & abundantiam in opere Domini; Ratio est, à præmio certò consecuturo.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 2. τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, εἰ κατέχετε.] Trajectio manifesta. [κατέχειν] hîc non tàm ad memoriam, quàm ad constantem fidem, & professionem referendum est. ἐκτὸς εἰ μὴ, &c. πλεόνασμὸς, qualis *cap.* 14. 5. pro εἰμὴ: est autem oratio ἐλλειπτικὴ, subaudiendum enim videtur, & κατέχειν ὀφείλετε, nisi frustrà credidistis, id est, nisi fidei vestræ fructum omittere velitis.

Ver. 5. τῶν δώδεκα.] Id quî potest? cùm *Judas* jam tùm sese suspenderat, nec dum in ejus locum suffectus est *Matthias*? multi hîc multa. vide *Theophylactum* & *Bezam* ad hunc locum. Responsio accommodata triplex hîc est: prima *Iunii annot.* ad hunc locum; Quamvis, inquit, *Iudas* sublatus esset, à majori tamen parte numerus quasi integer dicitur. 2 *Bezæ* & *Piscatoris*; Metonymicῶς hæc dicta sunt, nam ex adjuncto numero intelliguntur Apostoli ἀορίστως, non habitâ numeri ratione: Receptum enim erat, ut cœtus ille Discipulorum Christi domesticorum, nomine τῶν δώδεκα intelligeretur, quæ appellatio, etiam *Iudâ* sublato, permansit. 3 *Bezæ*, δώδεκα irrepsisse

irrepſiſſe pro ἑξῆς ſcribarum errore, cujus conjecturæ rationes vide apud eundem : ſcitum illud eſt, bis Chriſtum Apoſtolis apparuiſſe, ſemel abſente *Thomâ*, *Ioh.* 20. 19. iterum præſente *Thomâ*, *ver.* 26. ac priorem illam hîc intelligere videtur *Paulus*; nam aliam ac poſteriorem apparitionem narrans, ait, viſum eſſe τοῖς Ἀποστόλοις πᾶσιν, vide *Bezam* & *Piſcatorem*.

Ver. 6. ἐπάνω πεντακοσίοις.] *Beza* videtur pro πεντακοσίοις legendum πεντήκοντα, conjecturæ ratio, quòd fratrum numerus non videatur uſqueadeò magnus : confer *Act.* 1. 15. ἰκανός, de hac apparitione nihil quicquam apud Evangeliſtas reperitur, ut nec de illa, quâ *Petro* apparuiſſe dicitur, *ver.* 5.

Ver. 8. ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι.] ἔκτρωμα, inquit *Theophyl.* ἐμβρύων dicitur, & quiddam imperfectum, quod ex vulva ejicitur muliebri: ſic ſe, inquit, appellat Apoſtolus, utpotè non uſqueadeò maturum ad Apoſtolici muneris functionem. Idem, nonnulli, inquit, ultimum mulieris partum eſſe ἔκτρωμα voluêre, ſic *Paulus* ad Apoſtolatum ultimus vocatus, fortaſſis ἔκτρωμα ſe appellat propter nativitatis ſpiritualis modum, quia, ut ex graviori aliquâ percuſſione abortus plerunque contingit; ſic *Paulus* ex percuſſione illâ divinæ Chriſti gloriæ in lucem eductus eſt cœleſtis gratiæ, vide *Act.* 9. 4 ſed quid ſi hîc *Paulus* tempus apparitionis Chriſti notare voluit? Chriſtum ſcil. ſibi apparuiſſe tùm, cùm quaſi embryo quidam eſſet, & quiddam imperfectum; nondum ſcilicet ad fidei robur aliquod perductus, vel, ut ipſe

ipse alicubi loquitur, cùm Christus nondum in ipso formatus est, *Gal.* 4. 19.

Ver. 10. ὃ χάρις τοῦ Θεοῦ τὸ σὺν ἐμοί.] scilicet, ἐστι, ut Articulus declarat: Papistæ hinc colligunt cooperationem Arbitrii liberi cum gratia divina, à scopo *Paulino* planè aberrantes; cui id propositum est, ut quicquid ipse sit, aut agat, gratiæ divinæ in totum tribuatur: & quid illud sibi vult? Non ego, sed gratia: quanquam nec illud negamus, nos gratiæ acceptæ cooperari, tantùm illud constantissimè negamus, in statu naturæ ullas esse vires Liberi Arbitrii ad fidem aut conversionem præstandam.

Ver. 17. ἐν ἔτι ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν.] scilicet, & quoad reatum, & quoad Dominium; nam si Christus in morte remansit, inefficax fuit mors ejus ad expianda peccata, nec dominio peccati liberamur, nisi virtute resurrectionis Christi; quâ de vide *Phil.* 3. 10. *Rom.* 6. 4, 5.

Ver. 20. ἀπαρχὴ.] Non solùm quòd primus ad vitam immortalem resurrexit, *Act.* 13. 34. sed quòd omnibus suis sit causa resurgendi ad vitam æternam; sicuti primitiæ sanctificatæ suam reliquis frugibus communicant sanctimoniam.

Ver. 22. πάντες ἀποθνήσκουσι.] quia in eo omnes peccavimus, confer *Rom.* 5. 12. πάντες ζωοποιηθήσονται, scil. qui sunt Christi, ut patet *ver.* 23. atque etiam ex universa hujus Capitis serie: neque enim ad immortalitatem & gloriam resurgunt cæteri.

Ver. 23. ἀπαρχὴ Χριστὸς. id est, is primus resurrexit, scil. ad vitam immortalem, *Act.* 13. 34. nam cæteri

teri extra ordinem ſuſcitati, ad hanc vitam ſunt excitati, iterum morituri.

Ver. 24. τί οὖν τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ.] quid ergò? an nondum regnat pater? *Reſp.* Maximè. Reſpondent quidam regnare quidem, ſed quaſi imperfectè, quia nondum ſubjuguntur omnes inimici Dei: malo ego cum *Iunio* hîc intelligere οἰκονομικὸν illud quod filio à Patre impoſitum eſt; nam divinum illud æternumque commune eſt Patri, Filio, & Spiritui Sancto, nec ab ulla perſona Trinitatis momento unquam depoſitum. vide *Theoph. Bezam, Piſcat.* πᾶσαν ἀρχὴν, ſcil. ſuæ contrariam.

Ver. 25. ἄχρις οὗ ἂν θῇ.] Annon poſteà regnaturus eſt? *Reſp.* [Donec] aliquando infiniti temporis eſt; *Math.* 28. *ult.* 2 Non ut nunc, ſcil. in medio inimicorum, ſed ut debellatis hoſtibus quaſi triumphans.

Ver. 28. καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται.] Chriſtus ſcil. μυστικῶς Eccleſiæ ſuæ in æternum adunatus, ut 1 *Cor.* 12. 12. nam Chriſti πλήρωμα quoddam eſt Eccleſia, *Eph.* 1. 23. *Beza* paulò aliter; eum vide.

Ver. 29. τί ποιήσουσι.] id eſt, quid eis futurum eſt. οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, varias interpretationes hujus loci vide apud *Iunium* & *Tremel.* in *Annot. Iun. De Purgatorio, pag.* 67. *Bezam* & *Piſcatorem* ad hunc locum: Baptiſmum *Beza* luſtralem, & cæremonialem intelligi vult: *Bellarminus*, Lachrymarum baptiſmum. *Iunius*, Baptiſmum ſanguinis. *Piſcator*, Fluminis, id eſt, ſacramentalem. Illud ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quid ſit, non convenit inter eos. Ego ſimpli-

cissimè sic exposuerim ; Qui baptizantur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, id est, qui Baptismo sacramentali tanquam moribundi peccato & mundo initiantur ; ut sit sensus. Si nulla sit mortuorum resurrectio, in qua scilicet fructus præsentis mortis spiritalis carperentur, tùm inanis esset baptismi perceptio, in qua scil. testamur nos mundi, carnisque voluptatibus morituros : sed ut de baptismo sanguinis intelligatur locus, cogere videtur id quod sequitur, τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν; q. d. Apostolus, Si nulla sit mortuorum resurrectio, tùm frustrà, & inutiliter passi sunt mortem, qui mortem pro Christo subierunt, & nos frustrà periclitamur ; At neutrum inane ; ergò. vide expositionem *Iunii de Purgatorio, pag.* 67.

Ver. 31. καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω.] id est, Mortis pericula adeo : Metonymia effecti hyperbolica, vide 2 *Cor.* 11. 23. Alii ad carnis mortificationem referant. νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, obtestationis species : Hujus discrimen à jurejurando vide apud *Bezam* : obtestatio scil. locum habet in rebus, quas palam & in luce gessimus ; juramentum, in secretis & incognitis. Obtestari licet, id est, testes appellare cœlum, terram, Angelos, 1 *Tim.* 5. 21. jurare, non nisi Deum : gloriationem autem suam appellat Metonymicè afflixiones, & infirmitates suas, de quibus gloriatur, 2 *Cor.* 11. & 12.

Ver. 32. κατὰ ἄνθρωπον.] vide *Iun. Annot.* probabiliter ista includuntur parenthesi, q. d. id est, ut de meipso aliquid dicam, prout homines silent. θηριομάχησα, sunt qui hæc propriè sumunt, ac si *Paulus* sponte

ſponte cum beſtiis depugnâſſet in Theatro, vel invitus iis objectus fuiſſet ad lacerationem. Aſſentior *Bezæ*, qui θήρια hîc intelligit immanes illas beſtias Epicureos ſcil. *Epheſinos*, *Demetrium*, & ſocios quibuſcum *Paulo* certamen fuit, *Act.* 19. ἐπιθυμήσαμεν, Synecdoche generis, id eſt, planè deſinemus eſſe.

Ver. 34. ἐκνήψατε δικαίως.] ἐκνήφειν propriè de ebriis dicitur, qui à ſomno demum ſunt ſobrii: vult autem ad mentis ſobrietatem redire eos, qui vanis Epicureorum & opinionibus, & voluptatibus quodammodò inebriati ſunt. δικαίως, id eſt, ut æquum & juſtum eſt. πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, id eſt, ut vos pudeat iſtos ſectari.

Ver. 36. ἀποθάνῃ.] id eſt, corruptum fuerit; Metaphora, quam ἀναλλαξ uſurpat *Paulus*.

Ver. 42. σπείρεται.] Metaphoricè, id eſt, Sepelitur.

Ver. 43. ἐν ἀτιμίᾳ.] quid enim cadavere fœdius? præſertim in ſepulchro poſt putrefactionem. ἐν ἀσθενείᾳ, id eſt, planè virium expers. ἐν δυνάμει, id eſt, robuſtum.

Ver. 44. ἔστι σῶμα ψυχικὸν.] non hîc dividit corpus in ſpecies, ſed ſtatus ejuſdem corporis varios memorat; eſt enim idem corpus modò animale, modò ſpirituale; ψυχικὸν appellat corpus, cui vitam præſtat anima, eamque caducam, quæ indiget cibo, potu, generatione, ſicuti vita cæterorum animalium. πνευματικὸν, id eſt, qualitatibus præditum ſpiritualibus, confer *Mat.* 22. 30. à Spiritu ſcil. Chriſti, id eſt, divinâ virtute ad nos deriva-

tis; unde etiam Spiritus vivificans dicitur Chriſtus.

Ver. 45. εἰς ψυχὴν ζῶσαν. id eſt, Animal. εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν, Chriſtum Spiritum appellat à parte potiori, id eſt, à Deitate in ipſo σωματικῶς inhabitante; ſenſus eſt: Chriſtus factus eſt talis homo, qui ſimul eſſet ſpiritus vivificus, id eſt, Deus. ζωοποιοῦν, rectè, quia virtute ſuâ divinâ nos à mortuis exuſcitat.

Ver. 47. χοϊκὸς.] Pulvereus, ac proindè corruptioni obnoxius ex Lege. *Gen.* 3 19. ὁ Κύριος, qui ſcil. ſummum in omnes imperium obtinet. ἐξ οὐρανοῦ, ſunt hæc per communicationem idiomatum intelligenda, confer *Ioh.* 3. 13.

Ver. 49. τὴν εἰκόνα.] Non Inanem, ſed Realem; quam ſcil. res ipſa conſequatur; verè enim, & reipſâ χοϊκοὶ ſumus in hac vita, verè itidem & reipſâ cœleſtes erimus poſt hanc vitam, conformes ſcil. capiti noſtro Chriſto, confer *Gen.* 5. 3.

Ver. 50. ὅτι.] non ἰδιικῶς, ſed ἀποτελεσματικῶς accipitur. σὰρξ καὶ αἷμα, hoc poſteà explicat, carnem & ſanguinem appellans φθορὰν: intellige ergò corporis non ſubſtantiam, nam idem corpus quoad ſubſtantiam reſurget, confer *Ioh.* 19. 26. 27. ſed qualitatem corruptam, ut ſit ſenſus: Corpus, quatenus corruptioni obnoxium.

Ver. 51. μυστήριον.] id eſt, rem arcanam, & adhuc incognitam; proinde attentè audiendam. πάντες, ſcilicet, qui Chriſti ſumus, confer *ver.* 22. 24. ἀλλαγησόμεθα, confer 1 *Theſ.* 4. 15, 16, 17. ſcil. ex mortalibus immortales, 2 *Cor.* 5. 4. ex corruptibilibus

libus incorruptibiles evademus.

Ver. 52. ἐν ἰχάτῃ σάλπιγγι.] [ἐν] vel Tempus, vel Inſtrumentum denotat. σάλπιγξ, puto hoc ſimpliciter intelligendum, confer 1 *Theſ.* 4. 16. nam iſtiuſmodi clangore uſus eſt Dominus in promulgatione Legis, *Exod.* 19. 16 confer *Ioh.* 5. 28.

Ver. 53. τὸ φθαρτὸν τοῦτο.] nam idem numero corpus reſurget.

Ver. 54. κατεπόθη ὁ θάνατος.] ex *Ieſaiæ* 25. 8. id eſt, prorſus devicta, & debellata.

Ver. 56. τὸ κέντρον τοῦ θανάτου.] quo ſcil. mors nos pungit, nam niſi peccâſſemus, mors nihil in nos juris haberet. ἡ δὲ δύναμις, &c. tùm ratione agnitionis, tùm reſpectu augmentationis accidentariæ.

Ver. 58. ἐκ ἔστι κενὸς.] μείωσις. ἐν Κυρίῳ, id eſt, gratiâ, & operatione Domini.

THESES.

Prima, Reſurrectionem corporum futuram oſtendit. Rationes vide in Analyſi.

Secunda, Immutatum fore corporum noſtrorum ſtatum.

Tertia, Qui vivi deprehendentur in adventu Domini eos immutatum iri.

FINIS CAPITIS XV.

CAP. XVI.

HOc capite decem agit: 1 de Eleemoſynâ, ad *ver.* 5. Cujus primò colligendæ modum præſcribit, *ver.* 1. 2. 1 Mittendæ modum deliberat. Colligendi modum præſcribit, primò, γνικῶς, *ver.* 1. quatenùs ijs ordinem in Eccleſijs Galaticis receptum injunxit. 2 εἰδικῶς, ubi 1 Tempus, ſcil. Sabbathum. 2 Sepoſitionem. 3 Menſuram proponit, *ver.* 2. Ratio ex fine ſumitur, ut ipſe adveniens colligendi curâ immunis ſit. *Ver.* 3. 4. Mittendi modum declarativè proponit; præcipuè de Nuntijs ſollicitus.

2 Adventum ſuum promittit σεγλωττικῶς: Ejus tempus potiſſimè exponens, 1 Affirmativè, *ver.* 5. 6. 2 Negativè; Cujus rationem aſſignat, propoſitum ſimul & ſpem permanendi cum illis; cujus tamen conditionem ſubnectet, *ver.* 7.

3 Commorationis locum, Epheſum declarat cum termino ſuo, *ver.* 8. Et rationem tam diuturnæ apud Epheſios commorationis aſſignat, occaſionem Evangelij propagandi ſibi à Domino oblatam; quam etiam amplificat Antitheſi diverſorum.

Quartò, de *Timotheo* mox venturo tria præcipit. 1 ut ab omni juſtâ metus occaſione eum ſecurum præſtent; Cujus ratio ex muneris, operiſque modo deſumitur. 2 ut revereantur; id quod proponit per

per μείωσιν. 3 ut redeuntem comitentur; Ac reditus quidem rationem προλαμπικῶς exponit, ſcil. expectationem ſuam, *ver.* 10. 11.

Quintò de *Apollo* ſcribit. 1 ſe petîſſe. 2 illum recuſaſſe tùm venire. 3 in animo habere, oblatâ poſteà occaſione, venire, *ver.* 12.

Sextò, Hortatur ad vigilantiam, conſtantiam, fortitudinem, charitatem, *ver.* 13.

Septimò, *Stephanâ*, & reliquis cooperarijs monet, ut *Corinthij* illis ſe ſubjiciant: Ratio pro *Stephanâ*, &c. præcipuè triplex. 1 quia Primitiæ Achaiæ. 2 quia ſe ſanctorum miniſterio addixerunt. 3 quia Adjutores ſunt ad opus Domini, *ver.* 14. 15. 16.

Octavò, quàm gratum habuerit *Stephana*, *Fortunati*, &c. adventum dicat, ſimulq; Rationem ex facto; quod ideò indicat, ut à *Corinthijs* honoraretur, *ver.* 17. 18.

Nonò, quorundam verbis eos ſalutat, *ver.* 19. 20.

Decimò, ipſis mandat amorem fraternum, ſimul & ſanctum, *ver.* 20.

Undecimò, ipſe eos ſalutat, at Hypocritis minatur Judicium Dei, *ver.* 21. 22.

Poſtremò, Epiſtolam concludit conſuetâ εὐχῇ ſuâ, & Amoris ſignificatione.

ΣΧΟΛΙΑ.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 2. κατ' μίαν σαββάτων.] [κατ'] hîc distributivè sumitur; ut sit sensus, Primo quoque die. μίαν, id est, πρώτην, Cardinale pro ordinali, Hebraismus, ut liquet, *Gen.* 1. 5. cujus exempla vide *Mat.* 28. 1. σαββάτων, id est, Hebdomadis, confer *Mat.* 28. 1. cum *Mar.* 16. 9. Intelligit autem diem Dominicum, Interprete *Theophylacto.* παρ' ἑαυτῷ τιθέτω, id est, recondat apud se, & cumulet, auctumque deinceps, & cumulatum deferat. ὅ, τι ἂν, subaudi κατ', secundum quod prosperatur, sive parùm, sive multum; ità tamen ut secundum morem, & mensuram Benedictionis Divinæ, mensuretur, adeoque proportionetur beneficientia nostra. εὐοδῶται, propriè significat: Iter prosperum ex Dei benignitate conficere, confer, *Rom.* 1. 10. per Synecdochen Speciei Metaphoricam transfertur ad rerum omnium successus prosperos, ut 3. *Ioh.* 2.

Ver. 3. δι' ἐπιστολῶν.] videtur rectiùs cum sequenti πέμψω construendum. χάριν, intelligit Eleemosynas sive munus ex gratiâ profectum; confer 2. *Cor.* 8. 4.

Ver. 9. θύρα, &c.] id est, occasio, Metaphora; nam per occasionem quasi introimus in gestionem Rei; confer *Apoc.* 3. 8. ἐνεργὴς, Syrus sic reddidit, operibus plenum, id est, operosum, quod scil. magnos labores requirat: *Beza* aliter, ad res gerendas accommodatum. Alij fortassè rectiùs legunt

gunt ἀναργὸς, id eſt, Patens.

Ver. 11. ἐν εἰρήνῃ.] id eſt, ſalvum & incolumem.

Ver. 15. ἀπαρχὴ.] id eſt, primi ex ijs qui ſunt converſi in *Aſia*: Metaphora qualis *cap.* 15. 23. εἰς διακονίαν ἔταξαν ἑαυτὸς: Inferunt Anabaptiſtæ, ergò ſine vocatione Eccleſiæ licet cuipiam ſe in miniſterium publicum ingerere? *Reſp.* τάξιν hîc ſignificat ſervato gradu & ſtatione in quâ collocatus quis fuerit ſeſe operibus cum officio conjunctis addicere: ut ſenſus ſit, eos ſeſe quidem totos ultrò ſanctorum miniſterio devoviſſe, legitimè tamen vocatos: Alij aliter, ἔταξαν ἑαυτὸς, id eſt, ſeſe ſegregârunt ad miniſterium ſanctorum voto certo ac propoſito. διακονίαν, Dubium, an hoc de prædicationis miniſterio intelligendum ſit, an verò potiùs de eâ functione, quæ pauperum ſubſidijs, & gubernationi Eccleſiaſt: dicata ſit.

Ver. 17. τὸ ὑμῶν ὑστέρημα.] Defectum veſtrum, id eſt, in quo vos deficientes fuiſtis. Quid hoc verò? fortaſſè ſtatum rerum *Corinthiacarum* explicarunt pluribus, id quod cæteri non fecerunt: Fortaſſis obedientiæ ergà doctrinam receptæ renunciârunt: quicquid ſit, illud certum eſt, non hîc de collatione aliqua pecuniariâ verba fieri, quum tot verbis deprædicet gratuitam ſuam & liberalem Evangelij annunciationem.

Ver. 18. ἀνέπαυσαν γὰρ τὸ ἐμὸν πνεῦμα.] ſcil. & præſentiâ ſuâ, & ſermocinatione. καὶ ὑμῶν, ſcil. ex conſequenti, quatenùs mea quies vobis in lucrum ceſſura eſt.

Ver. 21. ἐν φιλήματι.] Salutandi Mos apud Judæos oſculi ritu peragebatur. ἁγίῳ, id eſt, minimè fucato.

Ver. 22. ἀνάθεμα μαρὰν-ἀθά.] His verbis extremi anathematis formula deſcribitur, quâ extremæ Chriſti judicis condemnationi abſque ſpe veniæ addicebatur Peccator. μαρὰν ἀθά, id eſt, Dominus noſter venit; vide *Enochi* verba, *Jud.* 14. ὁ φιλεῖ, μάλιστα, id eſt, odit atq; execratur, idque ſciens & prudens. Sunt autem apud Hebræos hæc dicendi genera ἀυξητικά: quòd ſi de Blaſphemiâ per Ignorantiam commiſſâ intelligatur, ſubaudienda erit Reſipiſcentiæ conditio.

SUBSCRIPTIO.

Ἀπὸ φιλίππων: hoc falſum, nam 1 *ver.* 5. nondum in *Macedoniam* introiverat; At *Philippi* urbs *Macedoniæ* Primaria, *Act.* 16. 12. 2 In *Aſiâ* degebat hanc epiſtolam exarans, *ver.* 19. At *Philippi Europæ* urbs eſt, non *Aſiæ*. 3 *Epheſi* fuiſſe ſe indicat cum hanc ſcriberet, *ver.* 8. Ergò non *Philippis*. διὰ τιμοθέου, Imò potius per *Eraſtum* & *Timotheum*; confer *ver.* 10. cum *Act.* 19. 21. 22.

FINIS *Capitis XVI. & concluſio totius Epiſtolæ Prioris.*

EPISTOLÆ

EPISTOLAE AD CORINTHIOS SECUNDÆ

Explicatio Analytica,

unà

CVM SCHOLIIS.

CAP. I.

CApitis primi partes ferè tres ſunt. Prima, Inſcriptio ſive ſalutatio, *ver.* 1, 2. ut ſuprà, 1 *Epiſt.* 1. 1, 2. 2 Exordium. 3 Narratio. Exordium eſt totum in gratulatione poſitum: In hac autem Euchariſtia tria ferè notanda, 1 Forma εὐλογητὸς. 2 Objectum, Deus, deſcriptus, 1 per relationem ad Filium; 2 ex attributo miſericordiæ;

3 ex facto conſolandi, *ver.* 3. 3 Cauſa ad gratias agendas movens, viz. Beneficium acceptum; eſt autem illud, Conſolatio; amplificata, 1 frequentiâ, ὁπὶ πάσῃ. 2 Fine, ut alios ſolari valeat, *ver.* 4. utramque circumſtantiam ampliùs declarat; frequentiam quidem, *ver.* 5. nam pro numero & modo afflictionum, ſic eſt & conſolationis menſura & numerus; finem verò, *ver.* 6. ubi docet hoc fine & immitti ſibi afflictiones, & concedi ſolatia, ut ipſorum conſolatio & ſalus promoveatur; quia autem quæri hic poterat, quomodò *Pauli* afflictiones ad eorum ſive ſolatium, ſive ſalutem facerent, ἐνεργουμένας hoc explicat: nam & ipſi per eaſdem tribulationes in regnum cœlorum ingredi debent, unde tolerantia *Paulina* ipſis prodeſſe exiſtimanda eſt viâ exempli; ut & ſolatia, quia cum ſimilibus in caſu ſimili ſimiliter agit Deus; itaque ſi afflictionum participes fuerint, erunt etiam & conſolationum conſortes, *ver.* 7.

Ver. 8. Incipit Narratio, quâ crimen levitatis diluere conatur; Pſeudapoſtoli enim *Paulum* inconſtantiæ accuſabant, propterea quòd venturum promiſerat, nec venit tamen: objectio ſic habet: Si *Paulus* promiſit venire, & non venit, tùm inconſtans eſt *Paulus*; At prius verum, ergò. Levis *Paulus?* Reſpondet Apoſtolus detegendo fallaciam, à non cauſâ ut cauſâ; nec enim ideò non venit quia levis, ſed quia variis afflictionibus præpeditus eſt; ut & quia nimium ſeverus erga ipſos nolebat eſſe; Reſponſionis autem partes ſunt præcipuè quatuor.

1 Af-

1 Afflictiones recenſet ut cauſas non impleti promiſſi; atque harum quidem, 1 Locum, 2 Gravitatem, 3 Finem commemorat, *ver.* 8. 9. Cujus quidem finis tùm fundamentum proponit, liberationem ſcil. divinam; tùm πράξιν exponit, *ver.* 10. ſpem ſcil. futuræ liberationis; quam ſibi audet polliceri ſub conditione petitionum *Corinthiacarum*; ad quam etiam conditionem præſtandam videtur hortari, 1 propter finem, ſcil. gloriam Dei, *ver.* 12. 2 Ex eo quòd candidè ſeſe, & ſyncerè geſſerat in mundo, maximè autem apud *Corinthios* degens: niſi fortè ſimulationis crimen hîc cupiat *Paulus* diluere, ut ne quis exiſtimet eum ſimulatè tantùm promiſiſſe adventum, cùm planè aliud intenderet. Hoc autem crimen, 1 diluit propoſitâ priori ſuâ converſatione à ſimulatione planè alienâ; id quod probat teſtimonio duplici, 1 Conſcientiæ ſuæ, *ver.* 12. 2 *Corinthiorum* ipſorum, *ver.* 13. 14. Secunda, confeſſio promiſſi adventûs, quam fine ſuo illuſtrat, *ver.* 15. 16. Tertia, προληπτικῶς levitatis crimen diluit; Argumento ex pari ſumpto; Prædicatio, inquit, mea fuit verax & ſibi conſtans, *ver.* 18. 19. Ergò Levitatis in promittendo non ſum incuſandus: Antecedens 1 confirmat jurejurando, *v.* 18. 2 Illuſtrat hanc prædicationem ſuam ex materia, ſcil. Chriſto, quem prædicavit conſtantiſſimè & ſine levitate. 3 Antecedens idem ampliùs probat hoc modo: Per quorum prædicationem conſtantiſſimè edocti eſtis, promiſſiones à Deo factas in Chriſto, ita ut factæ ſunt, adimpletas eſſe in

Chriſto, eorum prædicatio fuit ſibi conſtans; At per noſtram prædicationem edocti eſtis quomodo promiſſiones à Deo in Chriſto factæ ſunt in ipſo adimpletæ; Ergò, noſtra prædicatio fuit ſibi conſtans. Aſſumptio proponitur *ver.* 20. illuſtrata fine ſuo, gloriâ ſcil. Dei.

Ver. 21. περιπτικῶς occurrit ſuſpitioni arrogantiæ, quatenus conſtantiæ ſuæ authorem agnoſcit Deum, atque confirmationis quidem iſtius medium proponit collationem Spiritûs, triplici Metaphorâ, 1 Unctionis: 2 Obſignationis: 3 Oppignorationis.

Ver. 23. περιπτικῶς aſſignat veram cauſam dilati adventûs, ſcilicet, ne ſeveriùs cum ijs, quàm ipſi ſuſtinere poſſent, cogeretur agere, id quod confirmat jurejurando execratorio.

Ver. 24. περιπτὼς adhuc alia eſt, quâ tyrannidis crimen diluere conatur; ſic enim fortaſſis illi: quid hoc eſt quod dicis te nobis parcere? quaſi verò imperium in nos aliquod habeas? Reſpondet Apoſtolus Imperium diſtinguendo, ſe quidem in fidem ipſorum dominium non habere, neque exercere velle, ſed tamen imperium, & poteſtatem aliquam in ipſos ſibi & compresbyteris ſuis commiſſam eſſe à Chriſto, ejuſmodi ſcilicet, quâ ipſorum & gaudium ſpirituale, & ſalus æterna promoveri poſſet: Ratio autem imperii illius quod fidem attinet, abnegati, aſſignatur, quòd in fide perſiſtant.

ΣΧΟΛΙΑ.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 5. τὰ παθήματα τῦ Χριστῦ.] ſic vocat ærumnas & afflictiones ſuas, tùm quòd pro Chriſti nomine eas patiatur, tùm quòd eas Chriſtus ſuas ducat per συμπάθειαν, *Act.* 9. 4. addunt Pontificii ſic appellari propterea quòd ſint pars quædam non contemnenda paſſionis Chriſti propitiatoriæ & meritoriæ: ſed falsò, nam paſſio Chriſti ſatisfactoria per ipſum & in ipſo impleta eſt, confer *Heb.* 1. 3. neque in opere mediationis quenquam admittit ſocium, *Iſa.* 63. 3. Hinc etiam colligunt *Rhemenſes* opera Sanctorum eſſe meritoria. Syllogiſmus ſic habet. Opera & παθήματα Chriſti ſunt meritoria; opera & παθήματα Sanctorum ſunt opera & παθήματα Chriſti. Ergò, ſunt meritoria? *Reſp.* Opera & paſſiones Chriſti ſunt duplicis generis; alia perſonalia, ut ita loquar, quæ ſcil. Chriſtus in & per ſe operatur & patitur ut Mediator propitiationis inter Deum & nos, quorum etſi fructus ad nos perveniat, *Iſa.* 53. 5. tamen ipſa operatio & perfectio in Chriſti perſona reſidet; De his vera eſt Propoſitio, falſa Aſſumptio: Alia itidem participativa, id eſt, quorum Chriſtus quidem modo ſuo particeps eſt, ita tamen ut in perſonis ſuorum, non in ſuâ fiant aut perferantur. Hujus generis ſunt opera omnia Chriſtianorum, quæ Chriſti quidem ſunt, 1 Ratione principii. 2 Finis, quia à vi per Chriſtum ſubminiſtratâ proficiſcuntur, & in illius gratiam fiunt à membris ipſius:

ſius: cujuſmodi ſunt paſſiones Chriſtianorum, quæ Chriſti ſunt, 1 Quia in Chriſtum mediatè tendunt, *Luc.* 10. 16. 2 Quia Chriſtus propter unionem myſticam, & ex ea manantem συμπάθειαν, eas ut ſibi illatas reputet; confer *Eph.* 1. *ult. Heb* 4. 15. De his vera Aſſumptio, ſed falſa Propoſitio. Ac de his hoc loco *Paulus.*

Ver. 6. σωτηρίας ἡ ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ. &c.] Patientia hîc ponitur, non ut ſalutis cauſa meritoria, ſed ut ad ſalutem via neceſſaria; confer *Act.* 14. 22.

Ver. 8. κατὰ δύναμιν,] ſcilicet, Naturalem.

Ver. 9. τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου.] Metaphora hyperbolica, quâ periculis ſuis inanimatis actum quendam animatum tribuit; ſcilicet, mortis ſententiam pronunciare, adeoque morti adjudicare.

Ver. 11. συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει.] Hinc inferunt *Rhemenſes* licere nobis etiam defunctorum preces expetere, & Sanctos nunc in cœlis agentes ad interceſſionem precibus noſtris ſollicitare. Ratio duplex. Quorum preces æquè valent apud Deum atque preces vivorum, eorum preces etiam precibus expetere licet; At Sanctorum demortuorum preces æquè valent apud Deum, ac vivorum ſupplicationes: Ergò. *Sol.* Negatur Major, quia non vis ſive valor precum hîc tantùm ſpectandus eſt, ſed æquale mandatum Dei, æqualis etiam defectuum noſtrorum intelligentia: At nec mandatum Dei habemus nos; nec intelligunt Sancti defuncti defectus noſtros perindè ac vivi; Ergò. *Ob.* 2. Si hujuſmodi Sanctorum invocatio

catio nihil detrahit mediationi Christi, nec etiam fiduciæ nostræ in Deum, tum licita est; At verum primum, Ergò: Assumpt. prob. si vivorum intercessio nihil detrahit intercessioni Christi &c. tum nec defunctorum; At verum primum; quia hanc petit *Paulus?* Ergò. *Resp.* 1 Negatur sequela propositionis primæ; nam etsi nihil detraherètur hoc pacto vel mediationi Christi, vel fiduciæ nostræ in Deum, tamen non proinde liceret istiusmodi preces fundere, quia mandatum divinum hîc etiam requiritur: non enim quicquid non derogat intercessioni Christi, aut fiduciæ nostræ in Deum, statim agendum est. Ad Assumpt. probat. resp. mutatur quæstio; cùm enim agatur de Invocatione, probatio procedit ab Intercessione. ἐκ πολλῶν προσώπων, id est, ἀνθρώπων: τὸ χάρισμα, Synecdoche generis pro liberatione. Sensus est: Ut liberatio mea mihi à divina gratia per multorum hominum preces impetrata & concessa, &c.

Ver. 12. εἰλικρινείᾳ Θεοῦ.] genitivus efficientis ἐν χάριτι Θεοῦ, Synecdoche generis ut liquet ex antithesi: gratiam enim Dei appellat sapientiam sibi ex divina gratia concessam.

Ver. 13. ἀναγινώσκετε.] id est, tacito animi consensu recognoscitis. ἐπιγινώσκετε, id est, consensu vestro approbatis. Sensus est; Quæ hîc scribo de synceritate, candore, & constantiâ meâ vos satis per vos vera esse intelligitis, quippe qui vitæ meæ anteactæ testes sitis locupletissimi.

Ver. 14. καύχημα ὑμῶν.] id est, materia gloriationis.

Ver. 15. δευτέραν χάριν.] scil. Rigationis sive confirmationis; prima enim fuit conversio, confer *Rom.* 1. 12. 1 *Cor.* 3. 6.

Ver. 17. κατὰ σάρκα βουλεύομαι.] id est, hominum more, qui ut temerè quidvis pollicentur, sic leviter consilium mutant. τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὔ, οὔ. ναὶ declarat sermonem affirmantem; οὔ negantem, confer *Mat.* 5. 37. Sensus est: ut idem modò certò affirmarem, modò constanter negarem.

Ver. 18. οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ.] Inferunt *Rhemenses*; veri ministri sunt, qui sibi semper in doctrina constant; non constant sibi protestantium ministri; Ergò. non sunt veri ministri? *Resp.* 1 ad Majorem: sibi constant in vero, quod si quid erroris ipsis exciderit (sicuti humanum est errare) retractant illud; nec proinde levitatis sunt arguendi, qui non propositum mutant, sed factum inconsideratum. 2 Ad Minorem; constant sibi protestantes in fidei doctrina, in regiminis modo, ut & ritibus ac cæremoniis: expedientiæ rationem habent pro varietate locorum, temporum, personarum. 3 Leviores multò sunt Papistæ.

Ver. 19. Ἰησοῦς Χριστὸς κηρυχθεὶς.] Metonymia subjecti occupantis. δι' ἐμοῦ καὶ σιλουανοῦ, &c. πρόληψις, quæri enim poterat quosnam ipse sibi adnumeret? *Resp. Silvanum*, memet, & *Timotheum*. ἐν αὐτῷ, id est, in Christo.

Ver. 20. τὸ ναὶ: spondentis est; τὸ ἀμὴν ratum habentis quod dictum, aut factum est. Sensus est: Ut factæ sunt in Christo, sic in Christo sunt præstitæ.

Nisi

Niſi mavis τὸ ναὶ καὶ τὸ ἀμὴν, idem hîc ſignificare, ſcilicet, ratum & certum complementum. δι' ὑμῶν, quæritur, quomodo promiſſiones Dei ſint præſtitæ in Chriſto per nos? Hominéſne promiſſionum divinarum adimpletionem promovent? *Reſp.* Non implentur per nos, ſed declarantur impleri. Aliter, implentur Miniſtrorum operâ inſtrumentariâ, non effectivè, ſed applicativè; nam ad beneficia Chriſti nobis applicanda utitur Deus Miniſtrorum operâ.

Ver. 22. σφραγισάμενος.] σφραγὶς hîc interpretantur *Rhemenſes* neſcio quem indelebilem characterem in baptiſmo impreſſum animæ cujuſvis baptiſati; ita firmiter, inquam, impreſſum, ut nullo unquam ſcelere, flagitio, hæreſi, aut denique ἀποστασίᾳ deleri poſſit: ſed malè interpretantur Apoſtolum; nam ſigillum hoc vocat Spiritûs Sancti gratiam; confer *Eph.* 1. 13. & 4. 30. quòd ſi character ille ſit baptiſmalis, quidni & oleum? quidni & arrhabo? ſed de baptiſmo nihil hîc *Paulus.* τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος, genitivus ſpeciei, qualis *Ioh.* 2. 21. eſt autem arrhabo, pars aliqua perſoluti pretii in venditione, quâ fides fiat reliquæ ſummæ perſolvendæ; *Hebræis* hoc nomine venit, id omne, quo dato confirmatur promiſſio.

Ver. 24. κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως.] ἀντίθεσις eſt, cujus objectio ſic habet: qui parcit, habet ille poteſtatem quandam in eos quibus parcit; At tu non habes poteſtatem in nos? Ergò. *Reſp.* Non habeo, inquit, poteſtatem in fidem veſtram, at miniſterium habeo mihi commiſſum, ad veſtrum gaudium

promovendum. κυριεύειν τῆς πίστεως is dicitur qui potestatem aut habet, aut exercet in fidem, mandando scil. credere quod ipsi placet proponere; non credere, quod non credendum esse ipse decreverit. Hujusmodi dominium absolutum nemo homo habet, nisi solus Christus Ecclesiæ summus & Dominus & Propheta. Sumus autem nos Ministri fidei, non Domini, *v.* 1 *Cor.* 3. 5. Annon potestatem habemus mandandi populo Dei ut credant iis quæ docemus, & puniendi, si non credant? *Resp.* Habemus quidem, sed restrictam, sed limitatam; non eam ut novos fidei articulos condamus; sed ut quæ à Christo in scriptis relinquuntur, Ecclesiæ Christi ipsius nomine fide amplecti præcipiamus.

FINIS *Capitis Primi.*

CAP. II.

Cap. II.

Dixerat ſuprà ſe ideò non veniſſe *Corinthum*, quòd ipſis parcere concupiſceret, *cap.* 1. *ver.* 23. Hoc jam ulterius proſequitur, ac rationibus quibuſdam ſuis teſtatum facit, *ver.* 1.2. quæri enim poterat; cur non venire elegiſti potiùs, quàm cum triſtitia venire? *Reſp.* Cauſa prima, decretum ſuum, & certum propoſitum, *ver.* 1. Altera cauſa, ne ſe omni hilaritate privaret, ſi ipſis triſtitiæ cauſa exiſteret, *ver.* 2.

Ver. 3. σύνοιδα continet: Si ita tibi caviſſes de triſtitia afferenda, uti jam profiteris, quorſùm tantâ in ſcribendo uſus es ſeveritate, tam acri objurgatione, mandato de excommunicando inceſtuoſo, tam imperioſo? 1 *Cor.* 5. cùm tamen ſcire poſſes iſta non poſſe non afferre nobis triſtitiam vehementem? *Reſp.* Apoſtol. cauſas ſcribendi finales alias aſſignans; primam quidem hanc, ut ſibi ipſe ulterioris mœſtitiæ cauſam præſcinderet in adventu ſuo. 2 Ut eodem facto ipſorum gaudium procuraret, quippe perſuaſus eos gaudia ſua communia exiſtimare, *ver.* 3.

Ver. 4. Rationem aſſignat cur ipſi communia cum ipſo gaudia habere debeant, nimirum, quòd ipſe illorum triſtitiæ eſſet particeps, id quod demonſtrat ex modo ſive cauſa ſcribendi; nam mœ-

ſtus, & lachrymans ſcripſit, de eo dolens, quòd prævidit fore ut à Domino corriperentur niſi ipſi ſe judicarent. Ultimâ quarti verſus parte προληπτικῶς tertiam ſcribendi cauſam finalem exponit, viz. Amoris ſui erga illos abundantioris teſtificationem, hanc amplificat antitheſi diverſorum.

Ver. 5. De Inceſtuoſo incipit agere; ejúſque reſtitutionem ſuadet Corinthiis: Ac nè quis fortè dicat, nobis nullam attulit mœſtitiæ cauſam, ſed tibi attulit, ſi quam attulit; Ergò tu illum potiùs quàm nos ſolari, ac reficere debes? *Reſp.* Apoſtolus, negando antecedens; non mihi dedit mœſtitiæ cauſam, ſed vobis potiùs omnibus: Hoc autem emollit ἐπανορθώσει, ἀπὸ μέρους, inquiens; cujus correctionis rationem aſſignat, nè ipſum plus ſatis mœſtitiâ preſſum ulteriùs aggravando opprimat. Hortationem autem de reſtaurando inceſtuoſo urget, 1 ab æquitate, quia ſatis jam mulctatus ſit, *ver.* 6. 2 A periculo, nè fortè nimiâ triſtitiâ abſorbeatur: extat Hortatio *ver.* 7. collatione imparium illuſtrata. Ratio 3, quia hoc pacto amorem erga illum ſuum teſtatum facerent, *ver.* 8. ſe ſcil. excommunicâſſe hominem, non ut perderent, ſed ut per pœnitentiam ſalvum facerent. Ratio 4 Ab utili, quia hoc modo ſe in omnibus dicto obedientes præſtabunt, *ver.* 9. Ratio 5, *ver.* 10. Ab æquo bono; Ego veſtram in gratiam veniam conceſſi; Ergo, æquum eſt vos propter me huic ignoſcere. Ratio 6, A periculo, ideò ignoſcendum, nè à Sathana ſuperemur, *ver.* 11. Hactenus explicavit cauſas dilati adventûs

tûs ſui; & cur pro inceſtuoſo interceſſit. Pergit jam deinceps profectionem ſuam ad Troadem iis indicare, tanquam alteram abſentiæ ſuæ cauſam. Hujus profectionis ſuæ, 1 cauſas finales duas aſſignat, 1 ut Evangelium prædicaret, 2 ut Titum conveniret. 2 Eventus, quod ad Evangelii prædicationem attinet fatetur ſibi quidem à Deo oblatam eſſe occaſionem Evangelii prædicandi ſatis amplam. 2 quòd Titum non inveniret apud Troadem. Ac hujus quidem eventûs effectus memorat duos, 1 animi perturbationem, 2 A Troade diſceſſionem: Hæc *ver.* 12. 13.

Ver. 14. θεολογικῶς effectus prædicationis ſuæ declarat: quæri enim poterat, num aperto tibi oſtio, nequaquam ingreſſus es Evangelii prædicationem? Reſpondet Apoſtolus, Immò, inquit, Evangelium prædicavi, & ſucceſſu ſatis proſpero; Ac ſucceſſum quidem prædicationis ſuæ amplificat, 1 ex cauſa principali, Deo, tum θεοπαρακλήτῳ, Chriſto, 2 ex adjuncta univerſalitate, ἐν παντὶ τόπῳ, 3 ex ſpeciebus diverſis, pro diverſa ſubjecti recipientis ratione, aliis enim vitam, aliis mortem affert, *ver.* 14. 15. 16. θεολογικῶς deinde hanc gloriam Dei potentiæ integram tranſcribit. 4 Denique ex cauſa ſucceſſum promovente atque adjuvante, viz. ſynceritate prædicationis ſuæ, quam ipſam amplificat comparatione diſſimilium, & ὑποτυπώσει quâdam ſyncerita-tis, *ver.* 17.

ΣΧΟΛΙΑ.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 6. ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ.] quatuor hinc colligunt *Rhemenses*. Prim. esse penes ministros Ecclesiæ potestatem ligandi ac solvendi; quod nos fatemur, sed eam ad verbi præscriptum limitamus. 2 Non sufficere ad reconciliationem cum Deo plenariam, ut quis intus apud se lugeat peccata, eaque corrigat, nisi etiam pœnam aliquam publicam sustineat peccator, Hoc nos in peccatis gravioribus & apertis quibus offenditur Ecclesia, requirimus. 3 Esse penes Magistratus Ecclesiasticos tempus pœnitentiæ externæ præscribere, modum imponere, non tantùm pro quantitate delicti, sed & pro ratione personæ peccantis, prout ipsius saluti videbunt expedire; Hoc nos concedimus. 4 Necessarium esse homini peccatori satisfactionem per pœnas temporales; satisfactionem etiam nos requirimus Ecclesiæ præstandam post datum scandalum; divinæ autem justitiæ, quis nisi Christus potest satisfacere? ὑπὸ τῶν πλειόνων, Intelligit Seniores Ecclesiæ Corinthiacæ: ἡ ἐπιτιμία αὕτη, Intelligit excommunicationis censuram; synecdoche generis.

Ver. 8. Κυρῶσαι.] id est, ratam & authenticam facere; alludit enim ad judiciorum morem, quo sensu se παράκλητον, id est, advocatum agere declarat.

Ver. 10. ᾧ δέ τι χαρίζεσθε, κἀγὼ.] Inferunt *Rhemenses*, ergò licere Ecclesiasticis Magistratibus indulgentias concedere, hoc est, ut ipsi interpretantur;

tur; remittere pœnam temporalem peccatoribus debitam, post culpam & reatum à Deo sublatum. Imò posse ministros pro arbitrio suo (satis testatâ pœnitentiâ coram Ecclesia) vel retinere, vel relaxare pœnas temporales. *Probat.* 1. Mandatum Christi, *Matth.* 18.18. 2 Episcopi olim partem aliquam injunctæ pœnæ amputabant. 3 A pari, puniendi habent potestatem, ergò, & remittendi. 4 Exemplum Christi adulteræ remittentis, *Ioh.* 8. 11. *Resp.* Esse penes Ecclesiam potestatem remittendi, 1 Culpam & reatum, declarativam & limitatam secundum verbi regulas, 2 relaxandi pœnas externas, puta censuram excommunicationis, post testatam satis, & præstitam pœnitentiam, fatemur omnes; Plenariam autem illam, quam sibi arrogant Pontificii, Deo integram atque illibatam servari cupimus. Rationes omnes eodem solvuntur responso; nam ministerialem, declarativam, limitatam remittendi ut & retinendi peccata potestatem dedit Christus, exercebant Apostoli; Christi exemplum quod attinet, quàm planè dispar est? Nam quod non damnat adulteram, in causa est, quòd ipse civile judicium non exercebat, 2 quod *Iovi* non omnibus, 3 quis colligat ex eo quòd culpam remitteret, ideò pœnam civilem remisisse? Latroni in cruce remisit culpam, pœnam non relaxavit. δι' ὑμᾶς: Inferunt *Rhemenses*; ergò satisfactoria, & pœnalia sanctorum opera communicabilia, atque applicabilia esse usibus fidelium, prout cujusque necessitas postulabit: communicandi autem potesta-

tem apud eos esse, quibus dispensatio mysteriorum Dei concredita est. Sed, proh Deum, quàm absurda sequela! *Paulus* in Corinthiorum gratiam veniam concedit, ergò satisfactoria sanctorum opera sunt ad alios applicabilia. Dic sodes, quæ illa fuerunt Corinthiacæ Ecclesiæ opera pœnalia, & satisfactoria, quæ incestuoso applicavit Paulus? ἐν προσώπῳ Χριστοῦ, id est, vel inspectore Christo, atque ex hoc animo syncero & integro; vel ut aliis placet, in persona Christi, hoc est, ejus quasi personam sustinens, vel ut alii, in nomine, id est, authoritate & virtute Christi, ut suprà, 1 *Cor.* 5. 4. *ver.* 11. ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν.] qui id verò fieri potuit? Nimirum, si pœnitentis restitutionem diutiùs distulissent, fieri potuit, ut astutia diaboli ad desperationem adigeretur, atque ita præda satanæ fieret, quem Christo lucrifacere & *Paulus*, & Ecclesia studebant; vide verbi significationem apud *Bezam*. Hinc inferunt *Rhemenses*, frequentiorem indulgentiarum usum his temporibus in Ecclesia esse debere; quia nunc, ita sunt homines delicatuli, ut severitate pœnitentiæ periculum sit, nè aut à satana ad desperationem adigantur, aut ab Ecclesia deficiant: fatentur interim ijdem, flagitia nunc regnare longè atrociora, quàm olim; & tamen leviùs cum hominibus agi oportere, ô cæcam hominis prudentiam!

Ver. 13. ἀποταξάμενος αὐτοῖς.] *Beza* non simplicem intelligit valedictionem, sed quæ facta est constitutâ priùs Ecclesiâ, & additis mandatis.

Ver. 14. θριαμβεύοντι ἡμᾶς.] scil. vel electos veritatis

tatis obedientiæ subjugando; vel reprobis os obstruendo veritatis apertâ luce. τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως αὐτοῦ φανεροῦντι, id est, cognitionem sui, quæ est tanquam pretiosus aliquis, & fragrantissimus odor Deo & hominibus gratus; genitivus est Appositionis.

Ver. 15. Χριστοῦ εὐωδία.] id est, instar suffitûs alicujus odoriferi in sacrificiis grati, Deoque accepti...

Ver. 16. οἷς μὲν ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον.] scil. per accidens, nimirum, quòd Evangelium fide nequaquam percipiunt; vide *Theophylacti* similia elegantissima ad hunc locum.

Ver. 17. καπηλεύοντες.] verbi ἔτυμον sic habet, teste *Iunio*: καπηλεύειν παρὰ τὸ κακύνειν τὸν πηλὸν, à corrumpendo vino atque infuscando, ut caupones solent. κάπηλοι, id est, Caupones, inquit *Beza*, infames semper sunt habiti, quòd merces adulterant, & quibusvis artibus lucrum captent; confer *Isa.* 1. 22. Duo itaque à se amolitur hoc nomine Apostolus, 1 Adulterationem verbi Dei per mistionem suorum phantasmatum. 2 Avaritiam & turpis lucri studium, ὡς ἐξ εἰλικρινείας: [ὡς] hîc non similitudinem, sed veram congruentiam declarat; & respondet Heb. *Caph*, quam dicunt veritatis; confer *Ioh.* 1. 14. ὡς ἐκ Θεοῦ, id est, sicuti processit ex Deo. ἐν Χριστῷ. id est, virtute & facultate à Christo subministratâ.

FINIS *Capitis Secundi.*

Cap. III.

Hoc Capite & ſequente ſuum commendat *Corinthiis* Miniſterium: Argumenta commendationis præcipua duo ſunt: 1 Ab effectu, *Corinthiorum* ſcil. converſione. 2 A materia, quam ipſam explicat comparatione imparium; ad hanc autem commendationem παρέκβασιν utens tranſit, *ver.* 1. Dixerat ſuprà, ſe non cauponari verbum Dei, &c. dicat quiſpiam, ergò, temet ipſe laudas *Paule?* Reſpondet, minimè id quidem opus eſſe præſertim apud *Corinthios*: Ratio eſt ab effectis; quia miniſterium ſuum in cordibus illorum efficax fuit ad converſionem, quod ipſi inſtar Epiſtolæ ab ipſo Deo miſſæ erat: hanc ipſorum converſionem eleganti Metaphorâ exornat, *ver.* 2. 3. & per ſingula pænè ad Epiſtolam exarandam neceſſaria extendit ſimilitudinem: Ad Epiſtolam ſcribendam neceſſaria ſunt, 1 Charta ſive tabula. Perſona ad quam mittatur. 3 Perſona mittens. 4 Amanuenſis ſive ſtylus. 5 Atramentum. Tabula, inquit, eſt cor veſtrum: Perſona, ad quam mittitur, omnes homines: Perſona mittens, Chriſtus: Amanuenſis, *Paulus*: inſtar Atramenti, Spiritus Dei, &c.

Ver. 4. παρέλκει eſt, quâ removet à ſe arrogantiæ ſuſpicionem, & converſionem *Corinthiorum* Deo totam aſcribit, q. d. quòd gloriari audeamus, in Deo

Deo audemus, utpote qui ſolus eſt τῆς ἡμῶν ἱκανότητος author, & efficiens; id quod amplificat ingenuâ ſuæ inſufficientiæ agnitione, majorum inſtitutâ comparatione, *ver.* 4. & 5.

Secundus locus commendationis eſt à materia, ſive genere doctrinæ; eſt enim Evangelii, non Legis Miniſter, ut Pſeudapoſtoli: Hanc autem commendationem pluribus proſequitur, Evangelicum Miniſterium cum legali conferens potiſsimùm in gloria: Syllogiſmus principalis ſic habet, *ver.* 7. 8. Si Miniſterium Legale fuit glorioſum, tum multò magis Miniſterium Evangelicum; At Miniſterium Legale glorioſum fuit; Ergò, Evangelicum: Conſequentiæ ratio multiplex aſsignatur, 1, ab effectis, Legale occidit, quia eſt literale; Evangelicum vivificat, quia Spiritûs Sancti efficaciam ſibi adjunctam habet; hæc pluribus expoſita ſunt, *ver.* 6. 7. ubi etiam minoris probationem ſubnectit, à ſigno ſumptam, glorioſam ſc. ſpeciem faciei *Moyſis* in Legis latione. Secunda Ratio Propoſitionis ab effectis; Legale condemnationem, Evangelicum juſtitiam adfert, *ver.* 9. Itaque (quod per correctionem ſubjungit, *ver.* 10.) Evangelici Miniſterii reſpectu ne glorioſum quidem dicendum eſt legale. Tertia Ratio, ab adjuncta duratione; Legale abolendum erat, Evangelicum fixum ac permanens, *ver.* 11. Ratio quarta, ab adjunctis, Evangelicum Miniſterium clarum eſt, evidens, illuſtre, perſpicuum; Legale obſcurum; id quod probat, 1 Signo. 2 Experientiâ; Signum erat velamen *Moyſis* faciei obductum,

ctum, *ver.* 13. Experientia, in cæcitate *Iudæorum*, adhuc durante, & duraturâ uſquedum per Miniſterium Evangelicum Chriſtus ipſis innoteſcat, & ipſi ſe ad Dominum converterint, id quod ſolius Chriſti opus eſſe demonſtrat, *ver.* 17. utpote qui ſolus poteſt Spiritum ſuum electis ſuis elargiri.

Ver. 18. Evidentiam & claritatem Evangelii declarat ἀνακαλύψεως ad Legis obſcuritatem: nos enim (ſcil. novi fœderis Miniſtri) retectâ facie, id eſt, clarâ cognitione aſpicimus Dei gloriam, in Chriſto ut in limpidiſsimo ſpeculo. 2 In eandem imaginem transformamur, id eſt, ut nos Chriſtus ſuâ luce illuſtrat, ſic nos electis Dei filiis inſtrumentaliter ſive miniſterialiter aliis eandem lucem, cujus nos participes efficimur, communicamus; ſed per gradus, quod appellat ex gratia in gloriam; Ac ne quis hæc arroganter dicta exiſtimet, omnem hanc & cognitionem ſuam, & Miniſterii efficaciam Spiritui Domini tanquam efficienti principali tranſcribit.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. ὡς τινες.] Taxat Pſeudapoſtolos, qui literis commendatitiis ſeſe paſſim Eccleſiis venditabant.

Ver. 2. ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν.] quâ ſcil. nos Eccleſiæ Dei commendamur; Metaphora. ἐν ταῖς καρδίαις (ἡμῶν,) rectiùs legas (ὑμῶν) ex collatione verſûs tertii; converſionis

verſionis autem ſubjectum proximum ſubindicat.

Ver. 3. ἐστὲ ἐπιστολὴ χριστοῦ.] Inferunt *Rhemenſes*; ergò eſſe traditiones quaſdam ἀγράφους, quas non atramento & chartâ, ſed in cordibus fidelium ſcripſerunt Apoſtoli; atque corda fidelium eſſe proprium, & principalem Eccleſiæ librum, in quo præcipuè cuſtodit illa veritatem cœleſtem, perinde ac veritatem illam in libris Canonicis deſcriptam? *Reſp.* 1, Si hoc ita ſit, quomodo hinc infertur? nam Epiſtola Chriſti dicitur converſio *Corinthiorum* in cordibus ipſorum vi Spiritûs, ſcil. per Miniſterium *Pauli* effecta, quâ *Paulus* commendatur mundo ut verus Chriſti Miniſter: quid hoc ad Traditiones? aut quâ tandem ſequelâ hinc infertur, inſervari in cordibus fidelium veritatem ullam divinam in libris Vet. & Novi Teſtamenti non perſcriptam? illud quidem damus in cordibus fidelium accendere Deum veritatis cœleſtis lucem, eamque ita fovere ut nunquam extinguatur; cujus typus quidam extat, *Ex.* 27. 20. ſed hâc de re hoc loco ne μυ quidem Apoſtolus. 2 Nec verò unquam quiſquam probare poterit, quidquam aliud docuiſſe Apoſtolos ad fidem aut ſalutem neceſſarium, quod non in ſcriptis bibliis reliquerunt; confer quæ hâc de re ſcripſit *Perkinſus comment. in epiſt. ad Gal. pag.* 7. *lin.* 5.

Ver. 4. πεποίθησιν δὲ τοιαύτην ἔχομεν.] ſcil. ut audeamus tàm magnifica de nobis prædicare hâc in parte.

Ver. 5. ἀφ' ἑαυτῶν, &c. ὡς ἐξ ἑαυτῶν.] Apertè hic tollit Apoſtolus ἀντιξύσιον illud ad bonum præſertim ſupernaturale.

pernaturale. Damnant hîc *Rhemenſes Pelagianos* aſſerentes actus noſtros meritorios (ut vocant) eſſe ex arbitrio libero mero, ac non ex ſpeciali gratiâ divinâ; Damnant item *Proteſtantes*, ut qui totum Deo adſcribunt, hominique adimunt libertatem omnem, & proprium motum in cogitatis & factis ſuis. *Reſp.* Sed dic ſodès; Annon tu totum quod es per gratiam Deo tribuis? quid habes, obſecro, quod non accepiſti? 1 *Cor.* 4. 7. Dic iterum, ecquis unquam ex *Proteſtantibus* homini naturali negavit libertatem & proprium motum in factis & cogitatis ſuis? ſua ſunt hominis non renati dicta, facta, cogitata; quòd ſi quid inſit his boni, eſt illud non naturæ ſed gratiæ; ſua etiam ſunt hominis renati bona opera, cogitata, dicta, ex parte; acti enim agimus: ſed quæ, malum, hæc dæmentia, ita apertè Spiritui Sancto contradicere?

Ver. 6. οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος.] Literam appellat legem in literis hærentem, quippe quæ, audientium reſpectu, non majorem vim habeat, quàm ſcriptum aliquod per ſe omnis virtutis expers, niſi apud eos, à quibus præſtari poſſit: ſimiliter ſeſe Lex habet, nos quod attinet; docet quidem quid flagitet, quid prohibeat Deus; At iſta faciendi poteſtatem nullam elargitur; neque enim hujus Miniſterio adjunctam eſſe voluit Spiritûs Sancti operationem Deus uſqueadeò ut eam poſſimus perfectè præſtare in hac vita, ſed tantùm ut in ea tanquam ſpeculo noſtram contueremur miſeriam; Evangelium contra Spiritum appellat, utpote quod Spiritûs

tûs operationem adjunctam habeat in cordibus Electorum, quâ apti efficimur atque ἱκανοὶ ad ea præstanda, quæ à nobis requirit, ſcil. μετανοεῖν καὶ πιστεύειν. Metonymia adjuncti: τὸ δὲ γράμμα ἀποκτείνει, id eſt, Lex occîdit, quâ eſt litera, non conferens vires ad præſtandum: Spiritus contrà vivificat, id eſt, Evangelium, quod Spiritum cooperantem habet, fideique in Chriſtum efficax ὄργανον eſt, juſtitiam, vitam, pacem, ſalutem denique æternam inſtrumentaliter confert.

Ver. 7. ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις.] Appoſitiſſimè hinc colligit *Beza*, non hîc de cæremoniali tantùm Lege agi, ſed præcipuè de morali, utpote quæ ſola tabulis lapideis conſcripta ſit; confer *Deut.* 4. 13, 14. ἐν δόξῃ, δόξαν hîc intellige ſplendorem, ac majeſtatem in *Moyſe* quidem & Levitico Miniſterio corporalem; in Chriſto verò, & Evangelico Miniſterio ſpiritualem: Argumentum hoc loco eſt à minori ad majus. μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι, &c. vide hiſtoriam, *Ex.* 34. 30. &c. τὸν καταργούμενον, Typus erat abrogationis Levitici Miniſterii.

Ver. 10. καὶ γὰρ, &c.] Correctio eſt: dixerat glorioſum eſſe Miniſterium Legale: hîc ſeſe revocat & corrigit, q. d. Dixi Evangelicum Miniſterium multò magis glorioſum eſſe, quàm Legale; Immò, inquit, propè dixerim Legale ne glorioſum quidem omninò dicendum eſſe, reſpectu Evangelii, utpote cujus gloria eſt ſupereminens.

Ver. 11. τὸ καταργούμενον.] quomodo Lex abolita ſit, lege inter cæteros *Zanchium*.

Ver. 12. Analysin totius hujus loci vide apud *Iunium* in parallelis, *lib.* 2. *paral.* 44. παῤῥησίαν hîc *Beza* interpretatur evidentiam, ut & *Ioh.* 10. 24. *Ioh.* 11. 14. & 16. 29.

Ver. 13. πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι.] Hoc non ad consilium *Moysis*, sed ad providentiam divinam referendum est; nam hoc typo significare voluit Deus ignorantiam & cæcitatem *Iudæorum*; seu mavis obscuritatem Ministerii Legalis; typis & cæremoniis quodammodo velantis ea quæ de Christo cognoscenda erant. εἰς τὸ τέλος, id est, in scopum quô Lex respiciebat, confer *Rom.* 10. 3 4. *Gal.* 3. 24.

Ver. 14. τὸ αὐτὸ κάλυμμα.] scil. vel ignorantiæ *Iudaicæ*, vel obscuritatis Legalis. κάλυμμα ponitur pro re illa velo isto significatâ. ὅ, τι ἐν Χριστῷ καταργεῖται, confer *Ies.* 25. 7. causam assignat cur occæcati etiamnum sint *Iudæi*, nempe quia Christum, per quem solum tolli potest velamen istud, non recipiunt, immò rejiciunt.

Ver. 17. προληπτικῶς hæc videntur annexa: dixerat paulò priùs, *Iudæos* cùm ad Dominum conversi essent velamine illo, & cæcitatis & subjectionis indicio, liberatum iri. Quæri hîc poterat, quo id pacto fieri posset ut ad Christum revertentibus tolleretur velamen? aut cur non nisi ad Dominum conversi velamen istud exuere possent? Respondet Apostolus, quia Christus & is quidem solus est Spiritûs elargitor, qui etiam omnibus ad se conversis Spiritum donat suum; Spiritus autem libertatem secum affert.

Ver. 18.

Ver. 18. ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ.] id eſt, clarè & audacter; Metonymia ſigni. τὴν δόξαν Κυρίου, id eſt, majeſtatem, ſplendoremque Chriſti in Evangelio elucentem, confer *Ioh.* 1. 14. κατοπτριζόμενοι, vide *Bezam* ad hunc locum. τὴν αὐτὴν εἰκόνα, id eſt, ἀπὸ τὴν αὐτὴν, id eſt, efficimur pro modulo noſtro omnes Chriſto ſimiles hâc in parte; quia ſicuti nos à Chriſto Sole juſtitiæ illuminamur, ſic & lucem noſtram nos aliis communicamus; confer 2 *Cor.* 4. 6. ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, id eſt, indies in gloria proficientes: gloriam hîc intellige, ſimilitudinem cum Deo; Hæc enim quotidiè creſcit. καθάπερ, hoc loco non comparationem, ſed congruentiam, ipſamque adeò rei veritatem denotat. ἀπὸ Κυρίου πνεύματος, efficientem notat hujus transformationis, Spiritum Chriſti in Miniſtris agentem. Hunc verſum paulò aliter ſumit *Iunius*, & ſic ἀναλύει, Partes, inquit, gloriæ illius nobis per Evangelium communicatæ *Paulus* explicat hîc duas, 1, Audaciam & libertatem, quia retectâ facie Chriſti gloriam intueamur. 2, Tránsformationem noſtram in glorioſam imaginem Chriſti, per ſanctificationem ex fide & juſtitiâ Chriſti.

THESIS *principalis unica.*

GLorioſius eſt Evangelium, quàm Lex. Rationes vide in Analyſi.

FINIS *Capitis Tertii.*

CAP. IV.

PRimis his ſex verſibus ſuam in Evangelio annunciando ſanctam atque intrepidam conſtantiam profitetur *Paulus*; cujus quidem conſtantiæ ſuæ, 1 Cauſam διακονίαν indicat, ſcil. præſtantiam Miniſterii. 2 Menſuram, pro gratiæ modulo, *ver.* 1. 3 Signa proponit antitheſi diverſorum inſtituta, 1 κατ' ἄρσιν, ἀπαπάμεθα. 2 χτ' θέσιν, quatenùs ſe teſtatur apertè ac palam veritatem declarare ad conſcientias omnium convincendas, *ver.* 2.

Ver. 3. κεκάλυμμ eſt, obſcurum eſt Evangelium multis, quibus tu tamen prædicâſti? Ergò, non tàm apertè ac manifeſtò veritatem Evangelicam annuncias: Subjectio ſequitur, cujus ſumma hæc eſt. 1, Diſtinguit ſubjecta Apoſtolus; Pereuntibus quidem obſcura eſt prædicatio noſtra, ſalvandis non item. 2 Cauſam hujus obſcuritatis oſtendit eſſe, non tenebricoſam Evangelii caliginem, quippe quod inſtar Solis ipſius ſplendidiſſimè fulgeat in Revelatione Chriſti; ſed cæcitatem reprobis inhærentem, partim ex malitia intùs regnantis Satanæ, partim ex infidelitate audientium, *ver.* 4.

Ver. 5. Probat πανουργίαν, ſe non ad quæſtum aut gloriam ſuam in Evangelio doloſè verſari, ex ſigno, quia Chriſtum, non ſe prædicat; Chriſtum ſolum

ſolum Eccleſiæ Dominum, ſe ſervum Eccleſiæ propter Chriſtum; cujus etiam rationem aſſignat duplicem, 1 ab efficiente cognitionis; 2 à cauſa finali ſumptam, nam à Domino accepit ipſe lucem cognitionis Chriſti, & in hunc finem, ut aliis lucem hanc communicaret, ad gloriam Dei in Chriſto, *ver.* 5. 6. Reliquo capite occurrit ſcandalo crucis. Si Chriſtum (ut profiteris) perſpicuè ſynceréque prædicares, nequaquam permitteret te, tuique conſimiles tàm graviter affligi; At patitur vos affligi, Ergò? Reſpondet 1, negando Sequelam, oſtenditque Deum velle Apoſtolos ſuos qui in Evangelio prædicando deſudant, ad ſummam permittere infirmitatem, frangilitatemque; idque hoc fine, ut omnibus innoteſcat vim atque efficaciam ſuam non ab hominibus, aut externis in univerſum adjumentis pendere, ſed ex ipſo Deo, quippe qui per infirmos plerunque, & nihili homines excellentem verbi ſui ἐνέργειαν exerat. 2 Minorem diſtinguit; affligimur, inquit, at non coarctamur, &c. quare in ſuſtentatione noſtri ſub cruce, nos ſibi charos eſſe demonſtrat Deus; id quod amplificat collatione majorum; non ſolùm, inquit, non deſtituimur, ſed &(quod majus quiddam eſt) in hac mortali conditione noſtrâ vitam ſuam mirificè exerit Chriſtus.

Ver. 12. πρόλημψις adhuc alia; nobiſcum aliter agit Chriſtus, nos enim vivimus, vos mortui eſtis? *Reſp.* Eſto; utrique tamen tàm nos qui morimur, quàm vos qui vivitis Deo chari ſumus: id

quod probat ſigno, pari ſcil. fidei dono, pari confeſſionis conſtantiâ; nam tàm nos confitemur, ac profitemur Chriſtum moribundi, quàm vos vividi; æquè utrique Chriſtum linguis noſtris confitemur, atque deprædicamus: Cujus rationem aſſignat, ſpem futuræ reſurrectionis ac refocillationis, *ver.* 14. quam probat à pari exemplo Chriſti.

Ver. 15. Alios inſuper afflictionum ſuarum fines duos exponit, 1 Eccleſiæ commodum, δι' ὑμᾶς. 2 Dei gloriam: nam per Miniſtrorum preſſuras occaſionem miniſtrat populo Deus orandi pro liberatione, per liberationem incitat ad communes gratias agendas, quibus potiſſimè glorificatur Deus: his ita penſatis, inquit, nos non deficimus animo.

Ver. 16. θλῖψις: At corpore debilitati videmini, planéque corrupti; Ergò, deficere videmini, ac preſſuris penè ſuperari? Reſpondet Apoſtolus, Corpus quidem corrumpi, animos tamen quotidiè per preſſuras augeri ſibi, ſuique ſimilibus; cujus cauſam aſſignat certitudinem gloriæ poſt afflictiones ſecuturæ, quam etiam gloriam amplificat expoſitione adjunctorum per Antitheſin, *ver.* 17.

Ver. 18. θλῖψις: At interim externus veſter ac viſibilis ſtatus eſt calamitoſus? *Reſp.* Nos viſibilia non conſideramus, ſed inviſibilia; cujus ratio aſſignatur ex diſſimilium comparatione.

ΣΧΟΛΙΑ.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. τῷ διακονίαν ταύτην.] ſcil. Evangelii, quo de ſuprà. καθὼς ἠλεήθημεν. ſi [καθὼς] ſumas pro cauſali ὅτι, indicat Apoſtolus aliam confidentiæ ſuæ cauſam, eamque primariam, ſcil. miſericordiam Dei, quâ ad hoc eximium munus vocatus eſt. confer 1 *Tim.* 1. 12. ſi propriè ſumatur, proportionem quandam innuit; indicat enim Apoſtolus ſe pro menſura gratiæ Dei ſibi hâc in parte conceſſæ non deficere.

Ver. 2. τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης.] id eſt, quaſcunque latebras homines ſibi malè conſcii quærunt ad turpitudinem ſuam operiendam; ſiquidem veritas, veteri proverbio, non quærit angulos. δόλοῦντες τὸν λόγον, quos anteà dixerat καπηλεύοντας, *cap.* 2. 17. confer locum; obliquè autem taxat Pſeudapoſtolos. φανέρωσιν τῆς ἀληθείας, id eſt, ut qui ſciamus nos coram, & cum Deo agere, cui omnia etiam abditiſſima latibula aperta ſunt.

Ver. 3. τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν.] id eſt, noſtri Evangelii prædicatio, ſive Evangelium quatenùs à nobis prædicatur.

Ver. 4. ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου.] ſic vocat Satanam, cui ſe Deo mancipârunt hujus ſæculi homines, confer *Ioh.* 12. 31. & 14. 30. *Eph.* 6. 12. & 2. 2. τοῦ εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ, quia ſcil. in Evangelio gloria Chriſti vivis coloribus depingitur. ὅς ἐστιν εἰκὼν, &c. deſcriptio Chriſti reſpectu non tàm naturæ divinæ,

divinæ, quàm officii Mediatoris; cujus pars præcipua eſt, ut patrem ſuum nobis conſpiciendum præbeat.

Ver. 6. ὁ εἰπών.] id eſt, qui mandavit, ſynecdoche generis. πρὸς φωτισμὸν τ γνώσεως, &c. id eſt, ad hoc ut nos lumen cognitionis Chriſti aliis communicaremus.

Ver. 7. θησαυρὸν τοῦτον.] id eſt, Cognitionis Chriſti, ſive Miniſterii Evangelici. ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, ſic vocat Apoſtolos, cæteroſque Evangelii Miniſtros, qui ratione infimæ conditionis ſuæ in hac vita ſunt inſtar vaſorum teſtaceorum, quovis ictu frangendi; ſive ratione crucis quotidianæ, quâ tantùm non confringuntur. τ δυνάμεως, quæ ſcil. ſe exerit vel in Miniſterio noſtro, vel in ſuſtentatione noſtri ſub cruce. ἦ, id eſt, cognoſcatur eſſe.

Ver. 8. ἀ στενοχωρούμενοι.] ſcil. non ita coanguſtati, ut nulla pateat evaſio; alioqui in anguſtias adiguntur ſervi Dei, *cap. 6. 4.*

Ver. 10. τὴν νέκρωσιν τῦ Κυρίου.] ſic vocat Apoſtolus miſeram illam Miniſtrorum conditionem, qui quotidiè occiduntur, & quaſi oves mactationis cenſentur. τ Κυρίου Ἰησοῦ, ſic dicitur mortificatio noſtra, vel quia propter Chriſtum maceramur, vel propter συμπάθειαν, vel denique quia ad Chriſtum pertingunt miſeriæ noſtræ. ἡ ζωὴ, vitam appellat vigorem illum, & vividam potentiam nobis à Chriſto per Spiritum ſubminiſtratam, quæ tum demum ſe exerit, cùm afflictionibus tantùm non enecti aut interempti eſſe videmur, confer *ver. 11.*

Ver. 12.

Ver. 12. ἐνεργέιται.] Si activè ſumatur, ſenſus eſt, vel mortem eos jam invaſiſſe, adeoque paulatim enecare cæpiſſe, vel vitalem eſſe Eccleſiæ reſpectu, ad quam fructus perpeſſionum iſtarum abundè provenit: vide *Bezam.*

Ver. 15. τὰ γὰρ πάντα δι' ὑμᾶς.] id eſt, Hæc omnia nobis contingunt in gratiam veſtram, ut vos ſcil. noſtras cernentes preſſuras ad Deum precantes confugiatis, & impetratâ liberatione communi Euchariſtiâ Deum glorificetis.

Ver. 16. ὁ ἔξω ἄνθρωπος.] Corpus intelligit. ὁ ἔσω, id eſt, Animus. ἀνακαινοῦται, id eſt, novas vires acquirit.

Ver. 17. κατεργάζεται.] vis cauſandi tribuitur quandoque cauſis ſine quibus non, ut *Rom.* 4. 14, 15. 2 Operari dicuntur nobis gloriam, non meriti modo, *Rom.* 8. 18. ſed ratione miſericordiæ promittentis Dei; non quòd mereantur gloriam tribuendam, nam quæ proportio? ſed quòd promiſit Deus gloriam patientibus pro Chriſto: non quicquid quovis modo cauſat, aut procurat mercedem, ſtatim meretur: fides noſtra eſt ſuo quodam modo juſtificationis noſtræ cauſa, quia Chriſti juſtitiam apprehendit ſimul & applicat; non tamen ſtatim meretur ut juſtificemur.

Ver. 18. μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα.] intelligit crucem præſentem.

Thesis.

Evangelii ſui Miniſterium commendat Deus hominibus calamitoſiſſimis : ſeu mavis aliter enunciari : Miniſtros Evangelii ſui vult Deus eſſe miſeriis omnigenis ſubjectos. Rationes ſunt, 1, Ut vis ac potentia omnis Evangelii ex Deo eſſe intelligatur, non ab hominibus. 2, Ut ſuam in ipſis ſuſtentandis, adeoque vivificandis potentiam exerat Deus. 3, Ut populo præbeatur anſa precandi à Deo liberationem, & pro impetrata gratias agendi; cætera vide in Analyſi.

Finis *Capitis Quarti.*

Cap. V.

COhærentia sic habet: dixerat suprà *cap.* 4. 16. 17. se ob varias præsentis vitæ calamitates nequaquam deficere animo; eò quòd post miseram hujus vitæ conditionem sequentem ipse gloriam intueretur: Cùm autem quæri hìc poterat, tùne certò nôsti te illius gloriæ fore participem? subjungit προληπτικῶς, immò, inquit, scimus nos mortuos immortalitate donatum iri, *ver.* 1. Mortem autem προφρασικῶς describit terreni hujus tabernaculi dissolutionem: gloriam illam corporis futuram illustrat adeoque amplificat, 1, ex efficiente Deo. 2, Adjunctâ æternitate. 3, Loco subjecto, scil. cœlo.

Ver. 2. Desideramus, inquit, superindui immortalitate; Ergò, certi simus de immortalitate assequendâ: simile Argumentum extat *Rom.* 8. 23. hoc autem desiderium amplificat ex adjuncto dolore.

Ver. 3. Correctio est παρενθέσεως interposita; cujus sensus est; Desideramus, inquit, superindui; nec tamen exploratum habemus vivinè superinduemur, an mortui induemur.

Ver. 4. Commoratur in desiderio illo suo explicando, quod etiam amplificat declaratione finis.

Ver. 5. Duplex adhuc argumentum pro certitudine ſequuturæ gloriæ proponitur, 1 Decretum divinum, ſive fabrica divina. 2 ἀρραβὼν Spiritus.

Ver. 6. Repetit profeſſionem confidentiæ ſuæ ex *ver.* 15. *cap.* 4. θαῤῥοῦντες δὲ, &c. q. d. cùm igitur certò ſciamus nos gloriâ coronatum iri, proinde confidenti ſumus animo in mediis afflictionibus: cujus confidentiæ rationem repetit ex ſuperioribus, ſcil. quòd abſint à Domino. Afflictiones autem hujus vitæ ſi ad mortem uſque pertingant, adeoque eos vitâ privent; hoc ſolum efficient, ut nos ad Dominum perducant, Deique cohabitationem, quam nos, inquit *Paulus*, cupidè expetimus. Ratio ſic habet: Qui malunt è cuſtodia corporis exire & cum Deo agere, nil mirum ſi illi afflictiones conſtanter ferant; ut qui ſciant extremas hujus vitæ miſerias nihil aliud mali allaturas, quàm ut ad Dominum eò citiùs perveniamus; At nos è corporis cuſtodia malumus exire, quàm in corpore detineri. Ergò. Propoſitionis Ratio ponitur, *ver.* 6. amplificata περιλήψει παραθετικῇ, *ver.* 7. etſi enim hic viventes certò ſcimus nos cum Domino tandem acturos, fide id teſtante, tamen nondum ſentimus promiſſam gloriæ plenitudinem: Aſſumptio ponitur *ver.* 8. cujus ratio etiam aſſignatur, quòd in corpore egentes Domino abſumus, corpore autem exuti ad Dominum perventuri ſumus. Hactenus confidentiam ſuam explicavit; nunc ſynceritatem in Apoſtolico munere fungendo explicat; quam ipſam ex eodem fonte manare affirmat, *ver.* 9. hanc ſuam ſynceritatem

tem profitetur. Ambimus, inquit, Deo accepti esse; cujus rationem assignat duplicem, 1 Certam spem gloriæ, quâ de suprà, δὲ κ, &c. 2. Judicii futuri expectationem, *v.* 10. Cujus Judicii tùm generalitatem indicat, πάντας: necessitatem, δεῖ: effectum, φανερωθῆναι: finem, ἵνα κομίσηται ἕκαστος, &c. hanc posteriorem synceritatis causam denuò repetit Apostolus, *ver.* 11. eamque ad propositum accommodat, q. d. cùm igitur sciamus tremendum illud Dei judicium, enitimur homines suadendo ad Christum perducere; idque cum summo animi candore, ita scil. nos gerentes tanquam qui in conspectu Dei agamus; vel si mavis, suæ in prædicando synceritatis testes appellat tùm Deum cordium inspectorem, tùm conscientias auditorum, quæ vim & ἐνέργειαν verbi persenserant.

Ver. 12. συνίστημεν est; At laudem venditas tuam, quod vix est candidi, aut certè parùm sani? Respondet Apostolus, se dum synceritatem memorat suam, non id agere, ut suam venditet laudem, sed ut ipsi habeant quod calumniis Pseudapostolorum opponant: quos etiam describit ex hypocrisi & ambitione suâ, *ver.* 12. secundam quod attinet calumniam, insaniæ scil. respondet, *ver.* 13. aitque se, si modo insaniat synceritatem profitendo suam (quod imputant Pseudapostoli) id facere studio gloriæ divinæ, & salutis Ecclesiæ; ad quam omnes oportet tanquam ad scopum præfixum collimare. 2. Hoc factum suum, quod insaniæ insimulant Adversarii, ex fonte unde promanat, declarat amplius,

scil. Charitatem Christi, quâ se totum occupatum profitetur, *ver.* 14. cujus etiam τεκμήριον proponit, mortem Christi; quam ipsam amplificat fine suo, ut scil. nos omnes Deo vivamus, id est, in vita Dei & Christi sui gloriam quæramus: seu mavis, duplex hîc ratio profitendæ synceritatis redditur, alia prorsùs ab illa quam somniant Pseudapostoli. 1 Amor Christi. 2 Studium gloriæ Christi. *ver.* 16. Conclusio proponitur, quâ docet se suam gloriam non quærere in hac synceritatis suæ protestatione. Syllogismus sic habet. Qui id statutum habet apud se, ut solam Christi gloriam in omnibus vitæ actionibus quærat, is non suam quærit gloriam, sive laudem; At nos hoc statutum habemus, Christi gloriam vivendo quærere. Ergò. Assumptio ponitur, *ver.* 14. 15. & probatur ex causa movente, morte scil. Christi: Conclusio est *ver.* 16. Itaque, inquit, nos neminem alium ex externa gloria æstimamus, nec proinde ab aliis æstimari sic volumus; Itaque gloriam nostram nunc non quærimus. Extremâ *ver.* 16. parte πρόληψις est; fuit tempus, *Paule*, cùm ex externis istis Christum æstimares, nimirum ante conversionem in Pharisaismo agens? *Resp.* Apostolus, concessione & correctione utens; quamvis Christum olim sic novimus, at nunc non item; cujus judicii sive censuræ mutatæ causam assignat, Regenerationem sive renovationem naturæ suæ. Qui nova est creatura, novum habet de rebus judicium; At nos novæ creaturæ sumus, Ergò. Propositio proponitur *ver.* 17. & probatur ex genere;

quia

quia vetera omnia in nova creatura præterierunt, &c. ergò, & vetus judicium de rebus; Minor proponitur eodem versu, & probatur ex fonte renovationis, scil. insitione in Christum. Initio versûs 18, principalem istorum omnium efficientem agnoscit Deum, ut ne quis putet se, dum ista de se profitetur, suam ambire gloriam. Mentione autem Dei factâ eum describit ex effectu duplici, 1, Reconciliatione mundi, cujus etiam causam intermediam memorat, Christum. 2 Ministerii demandatione, *ver.* 18. in quâ etiam descriptione commoratur, *ver.* 19. Hæc ideò proponit, ut omnia sua Deo ferat accepta; nam sive gratias generales spectes, constantiam, synceritatem, fidem, &c. sunt istæ ex Deo, qui nos sibi per Christum reconciliavit; sive dignitatem muneris Evangelici, hoc ipsum à Deo accepimus. Atque hactenus Epistolæ pars Apologetica: sequitur nunc Hortatoria: Hortatur autem primò ad Reconciliationem cum Deo ineundam; cujus, 1, hortationis proponere rationem ex parte suâ exponit, scil. demandationem muneris. ὅν, itaque, scil. quia Ministerium accepimus. 2 Admittendæ ex parte *Corinthiorum* rationem assignat, Majestatem Christi, Deique petentis, & quasi obsecrantis per Ministros suos, ut oblatam Reconciliationis gratiam admittamus, *ver.* 20.

Ver. 21. πρόληψις est; At quæ spes nobis miserrimis peccatoribus redeundi in gratiam cum Deo? Respondet Apostolus, non desperandum de reconciliatione

ciliatione credentibus impetrandâ : Ratio à facto, & fine facti : factum, Deus Chriſto noſtra imputavit peccata, ipſumque fecit pro peccatis noſtris victimam : finis, ut nos in illo juſtitiam apud Deum conſequeremur : Ergò, nemini de reconciliationis gratiâ dubitandum.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους.] id eſt, Corpus, quod domicilium eſt animæ tabernaculare: imbecillem & temporariam hujus vitæ conditionem ſic exprimit ἀσθενῆ, id eſt, firmum & ſtabile ædificium.

Ver. 2. ἐν τούτῳ, ſcil. τῷ σκήνει. τὸ ἐξ οὐρανοῦ, non ſubſtantiæ ratione, ſed qualitatum ἀφθαρσίας & gloriæ. ἐπενδύσασθαι, ſunt qui hoc ſimpliciter intelligunt, ut ſenſus ſit, cupimus immortalitate tanquam veſte indui : Alii veſtem veſti additam præpoſitione ἐπὶ ſignificari contendunt, ut ſi quis indutus eſt thorace, & ſuperinduatur pallio ; ac veſtem primam intelligunt Chriſti juſtitiam, alteram juſtitiæ illius præmium, gloriam ſcil. cœleſtem : Alii veſtem primam corpus mortale, ſecundam, glorioſum corporis ſtatum, quo ſuperindui cupiunt Sancti, id eſt, ita eo ornari, ut non intercedat mors corporalis, ſcil. per tranſmutationem ſubitam, qualis futura eſt eorum qui in Domini adventu ſuperſtites erunt. 1 *Theſ.* 4. 17. 1 *Cor.* 15. 51, 52.

Ver. 3.

Ver. 3. εἴγε καὶ, &c.] Correctio eſt propter ignoratam voluntatem Dei hac ex parte. ἐνδυσάμενοι, id eſt, corpore. γυμνοὶ, id eſt, exuti corpore; hoc eſt, vivinè an mortui deprehendemur incertum eſt.

Ver. 4. ἐπ' ᾧ.] Cauſam exponit cur ſuſpirent Sancti in hac vita, nempe voluntatis propenſionem ad tranſmutationem illam potiùs, quàm ad mortem intervenientem, confer *Rom.* 5. 12.

Ver. 5. ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς.] id eſt, ut alii, qui corpora noſtra ad hoc ipſum in utero plaſmavit: ut alii, qui præparavit & præordinavit nos ad hanc gloriam, ex *Rom.* 9. 23. σκεύη ἐλέους, genitivus notat ſpeciem.

Ver. 6. εὐδοκοῦμεν.] Confidentiæ cauſam indicat. ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, id eſt, commorantes quaſi in diverſorio: ſenſus eſt; Nos ideò confidenti ſumus animo, quia divinitùs edocti ſumus, nos in hoc corpore agentes extra patriam degere, ideoque patriam quærere debere permanentem cum Deo; ut *Heb.* 11. 13, 14.

Ver. 7. περιπατοῦμεν.] id eſt, vivimus, ex Heb. idiotiſmo. διὰ πίστεως, id eſt, Credentes, ac per fidem expectantes promiſſam gloriam. οὐ διὰ εἴδους, id eſt, nondum tuentes niſi fidei oculis bona nobis promiſſa ac præparata à Deo: ſunt autem iſta parentheſi includenda.

Ver. 9. φιλοτιμούμεθα.] id eſt, ſanctâ quàdam ambitione inter nos connitimur, ita vivere, ut & noſtra peregrinatio Deo placeat, & demum ab illo domum recipiamur.

Ver. 10. τὰ ἴδια τοῦ σώματος.] id eſt, mercedem eorum quæ fecit, Metonymia efficientis. τὰ ἴδια τῦ σώματος, ubi ergò ſuffragia viventium pro defunctis? *Ob. Aug. Enchirid. cap.* 110. vivorum preces ac opera & paſſiones, affirmat defunctorum eſſe propria; quia ipſi in vivis agentes hoc ſibi meritum comparârunt, ut eis poſſent iſta prodeſſe. Ratio ſic habet; qui vivi meruerunt, ut ſuperſtitum preces, & eleemoſynæ ipſis defunctis prodeſſent, eorum hæc viventium opera ſunt propria; At non valdè mali viri meruerunt, ut ſibi defunctis prodeſſent ſuperſtitum ſuffragia; Ergò, hæc illorum ſunt propria? *Reſp.* 1. Hìc de mercede cœleſti agitur, in univerſali judicio ſingulis diſtribuendâ: quid attinet ergò ad relaxationes purgatorias hæc transferre? 2 τὰ ἴδια, exponit Apoſtolus, quæ quis ipſe in corpore agens fecit. At quæ ſuperſtites faciunt pro defunctis in Purgatorio, ipſi non fecerunt in corpore. Ergò. *Ob.* Meruerunt ut fierent, & quidem utiliter ipſis? *Reſp.* 1. Qualis hæc Grammatica? fecerunt ipſi, id eſt, meruerunt ut fierent ab aliis? 2 Quodnam poteſt eſſe meritum hominis non boni, ſed non valdè mali? Denique ex *Auguſtini* ſententia ſuffragia ſuperſtitum etiam ad damnatos perveniunt, quod ipſi Papiſtæ non affirmant. πρὸς ἃ ἀπόκρισις, inferunt *Rhemenſes*; ergò, gloriam cœleſtem perinde eſſe mercedem bonorum operum, atque pœnas infernales malorum; At pœnæ infernales ſunt merces debita meritis operum malorum, proinde & ſalus æterna debita eſt merces operum bonorum?

Reſp.

Reſp. Negatur Sequela ; neque enim opera bona parem habent rationem ad gloriam, atque mala ad mortem ; cùm hæc ſint perfectè mala, illa imperfectè bona : itaque obſervandum, non dicere Apoſtolum dari præmia propter opera, ſed ſecundum opera, quatenus illa ſint teſtimonia fidei, ſi verè bona, aut infidelitatis, ſi mala. 2 Dicimus ac fatemur gloriam cœleſtem eſſe mercedem debitam operibus bonis, ſed non ex merito operum, ſed partim ex promiſſione divina, partim ex merito obedientiæ Chriſti. Inferunt ſecundò ; ſolam fidem non ſufficere ad ſalutem procurandam, ut nec infidelitatem ad pœnas ? *Reſp.* Si ſolam fidem intelligant fidem ſolitariam, id eſt, ab operibus ſeparatam ; fatemur ſolam fidem non ſufficere, ſed requiri neceſſariò præſentiam, ſive antecedentiam operum ; ſed non ut cauſarum ſalutem ex meritò ſuo procurantium ; ſed ut viæ, in qua inſiſtere oportet cum, quiſquis eſt qui ad ſalutem cupit pervenire.

Ver. 11. ἀνθρώπους πείθομεν.] id eſt, Hominibus ſuadere enitimur Evangelio prædicando, ut Chriſtum recipiant. Θεῷ δὲ πεφανερώμεθα, id eſt, ita candidè nos gerimus, ut Deum cordium inſpectorem habeamus ſynceritatis noſtræ teſtem, ut & conſcientias auditorum. οὐ συνιστάνομεν ἑαυτοὺς, id eſt, non hæc ideò dicimus, ut noſtræ laudis ipſi buccinatores ſimus, ut ſit fallacia à non cauſâ ut cauſâ. τοὺς ἐν προσώπῳ καυχωμένους, Pſeudapoſtolos taxat, qui externâ eloquentiæ, ac ſcientiæ larvâ ſe venditabant, cum cordis ſynceritate planè deſtituerentur.

Ver. 13. ἐξέστημεν.] Loquitur ex opinione adverſariorum. Θεῷ, id eſt, ad Dei gloriam totus hic apparens furor tendit. σωφρονοῦμεν, id eſt, ſine me hanc ſynceritatem meam profiteri ſano animo exiſtimet quiſpiam. ὑμῖν, id eſt, id facio non meam quærens gloriam, ſed veſtrum commodum.

Ver. 14. συνέχει ὑμᾶς.] Veram cauſam hujus proteſtationis ſuæ aperit, Charitatem ſcil. Chriſti; quâ ſe quaſi correptum vatum more affirmat.

Ver. 15. ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν.] Univerſalis particula ad certam ſpeciem reſtringenda eſt, ad numerum ſcil. eorum qui converſi Chriſto vivunt, ut mox ſequitur, confer *Heb.* 2. 9. 13. item expoſitionem *Kimmedontii* 2. *lib. de. Redemp. pag.* 56. 57. &c. μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, id eſt, non ſua in vita quærentes, ſed in Chriſti gloriam omnia referentes.

Ver. 16. οἴδαμεν οὐδένα κατὰ σάρκα.] id eſt, neminem cenſemus æſtimandum, ſive neminem approbamus; notitia enim hæc approbationis eſt; κατὰ σάρκα, id eſt, ex rebus externis quæ in oculos occurrunt, quales ſunt paupertas, ignominia, eloquentia, honor, &c. ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστόν, id eſt, Chriſtum ex externis iſtis cenſendum olim exiſtimavimus; ſcil. recipiendum pro Chriſto, ſi glorioſus; rejiciendum, ſi ignominiis ac paupertati expoſitus deprehenderetur.

Ver. 19. θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς.] id eſt, Qui nobis demandavit hujus mundi delationem, adeoque eloquendi poteſtatem, & docendi authoritatem nobis elargitus eſt.

Ver. 21.

Ver. 21. τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν.] ſcil. Practicè: ſenſus eſt; qui nullius ſceleris à ſe commiſſi conſcius erat; erat enim ab omni peccati labe immuniſſimus. ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν. Peccatum, id eſt, peccati victimam, ut *Levit.* 7. 2. &c. vel ut alii rectiùs, ex ἀντιθέσει lege, peccatorem ſummum, per imputationem ſcil. peccatorum omnium ab Electis admiſſorum; confer *Aug. Enchir. cap.* 41. δικαιοσύνη Θεοῦ, id eſt, Juſti juſtitiâ eâ quam Deus donat, imputat, approbat; ubi autem ea juſtitia reperienda ſit, declarat ſequentibus, ἐν αὐτῷ, ſcil. in Chriſto: nam ut Chriſtus peccatum, ſic nos juſtitia efficimur; Chriſtus peccatum effectus eſt, non inhærentiâ peccati ſui, ſed imputatione noſtri; proinde nos juſti efficimur apud Deum juſtitiâ non nobis inhærente, ſed à Chriſto nobis imputatâ. *Ob.* Juſtitia Dei dicitur ea, quâ Deus homines juſtos facit? *Reſp.* Eſto: eſt autem ea juſtitia Chriſto inhærens, quâ nos juſtos facit Deus, dum eam nobis imputet.

FINIS *Capitis Quinti.*

CAP. VI.

SEcundam ponit Hortationem ad vitam Evangelio dignam, Miniſterii partes, ſive officia duo ſunt. 1, Ad reconciliationem cum Deo ineundam hortari: de hoc ſuprà, *c.* 5. 20. 21. 2 Ad vitam tantâ gratiâ dignam incitare: ad hanc hîc incipit hortari, 1, generatim. 2 ſpecialiùs, *ver.* 14. Generatim *v.* 1. Hortamini ne fruſtrà Dei gratiam receperitis, id eſt, ut gratiam reconciliationis recipientes, fructus obedientiæ atq; gratitudinis Deo feratis. Hujus hortationis, 1 proponendæ ex parte ſuâ rationem proponit ex officio ſeu fine; ſumus enim, inquit, Dei cooperarii, ergò, hortationem proponimus. 2 Admittendæ, adeoque exequendæ ex parte *Corinthiorum*, Rationes ponit, 1, Alioqui fruſtrà erit, quòd Evangelium, in eoque oblatam Dei gratiam recipere profeſſi ſunt, *ver.* 1. 2 Ex temporis conditione: Tempus enim nunc advenit, in quo promiſit Deus fore ut efficax eſſet prædicatio Chriſti in cordibus hominum ad fructus obedientiæ producendos: Ergò, nunc fructus iſti ſanctitatis vobis proferendi ſunt, *ver.* 2.

Ver. 3. Ut valeat hæc hortatio apud auditores, ſuum illis proponit Miniſterium, in eoque fungendo ſollicitudinem: Hujus autem curæ partes ponit duas ex objecto eas diſtinguens, 1, Ut vitetur ſcandalum,

ſcandalum, cujus Ratio à fine eſt, ne vituperetur Miniſterium : 2 Ut in omnibus ſe præbeat, approbetque Miniſtrum Chriſti ; quare cùm hæc ſit cura paſtorum, ſimilis debet eſſe & gregis : Hæc *ver.* 3. & initio 4.

Ver. 4. Poſtremâ parte ſubjungit particularem enumerationem illarum virtutum, quibus ſe fidelis Chriſti Miniſter populo Dei approbare debeat. Sūnt eæ, 1, Tolerantia adverſorum, quam 1 declarat ex gradu, cùm multam eſſe patientiam & ſuam & ſociorum profiteatur. 2 Ex objectis variis, ſcil. afflictionibus, neceſſitatibus, anguſtiis, &c. *ver.* 4. 5. 2 Puritas. 3 Scientia. 4 Lenitas, &c.

Ver. 8. Varias conditiones ſuas apud varios declarat, in quibus omnibus ſuam æquabilitatem, & conſtantiam profitetur *Paulus* cum ſuis ; & ex antitheſi diverſorum conſtantiæ ſuæ cauſam proponit, ſcil. divinam aſſiſtentiam, atque protectionem, ut & conſolationem, atque experimentalem amoris Dei ſenſum, ad *ver.* 11.

Ver. 11. πεπλατυσται oſtendit hujus ſuæ in loquendo παῤῥησιας cauſam. *Ob.* Quorſum hæc tàm multa de te apud nos prædicas ? *Reſp.* Os noſtrum apertum eſt erga vos, id eſt, ita liberè apud vos locuti ſumus de nobis, eò quòd vos impenſiùs amemus ; cor enim noſtrum, & affectus amoris ei inſidens ſeſe per os noſtrum quaſi profundere geſtit. Dein cauſam oſtendit, cur de hac ſua παῤῥησια non, ut par eſt, ſentiant, ſcil. quòd ipſorum cor anguſtum ſit, id eſt, non tàm impenſè ipſum amant, quàm ipſe eos,

eos, alioqui hoſce amoris effectus nequaquam mirarentur: Ac poſtremò, ut dilatent affectus ſuos, hortatur, Argumento à mutuo ac planè pari in relatis affectu: Ego pater vos impenſiùs amo, ergò, par eſt, ut vos mei filii, quaſi vicem rependentes, me itidem impenſiùs ametis, *ver.* 12.

Ver. 14. Specialis hortatio ſequitur, ut ſe ab infidelium atque Idololatrarum conſortio ſubtrahant: Rationem ſubjungit à contrariorum comparatione: fideli cum infideli, luci cum tenebris, Chriſto cum Belial, templo Dei cum Idolis, non eſt pars, communio aut conſenſio ulla; vos autem fideles eſtis, & Templum Dei viventis; ergò, vobis nulla debet eſſe cum impiis Idololatris communio. Propoſitio patet ex natura contrariorum: Aſſumptionis probatio παραινητικῶς ſubjungitur, ex *Levit.* 26. Vos eſtis Templum Dei, ſic enim teſtatur Deus, *Levit.* 26. Argumentum ſecundum, à bonis conſecuturis hanc ſeparationem; nos ſcil. à Deo in familiam, & ſpecialem protectionem recipiemur, ipſe erit pater noſter, nos illi filii, filiæque; ergò, ab impuris Idololatris ſeparandum.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. Συνεργοῦντες.] ut alii, Auditoribus, dum ſcil. eorum pigritiam excitamus; ut alii, Sociis, dum ſcil. vires uniunt ſuas, atque alii aliis viciſſim manum porrigunt; rectiùs Deo, ut 1 *Cor.* 3. 9. Illi enim operam

operam noſtram ut inſtrumenta principali agenti accommodamus. εἰς κενὸν, id eſt, ſine fructu. τῷ χάριτι: ſic videtur appellare verbum gratiæ atque reconciliationis: Metonymia objecti.

Ver. 2. λέγει γὰρ.] Deſumpta ſunt hæc ex *Ieſa.* 49. 9. ubi promittit Chriſto ſuo Deus efficaciam Miniſterii inter Gentes, poſt rejectionem *Iudæorum* propter contumaciam: Tempus autem acceptum, ac diem ſalutis vocat, tempus illud Novi Teſtamenti, in quo Deus uberrimos gratiæ ſuæ fontes aperit; Applicationem vide in Analyſi.

Ver. 4. ἐν θλίψεσιν.] Generale hoc nomen eſt, quod per ſpecies explicat. ἐν ἀνάγκαις, hoc nomine inopiam intelligit eorum, quæ ad vitæ uſus ſpectant. ἐν στενοχωρίαις, ſic vocat interiores animi paſſiones; cùm ſcil. difficultates nos ad inopiam conſilii redigunt: propriè ſignificat locum, ſive ſpatium anguſtum, in quo difficulter quis ſe poteſt vertere.

Ver. 5. ἐν ἀκαταστασίαις.] vel ſeditioſos tumultus intellige; vel crebras ſedis mutationes; cùm huc illuc fugere coactus ſit. κόποις explico vel itinerum labores; vel manuariæ artis exercitium.

Ver. 6. ἐν ἁγνότητι.] expoſitis, quæ paſſus eſt, malis; virtutes enumerat, quæ in Miniſterii functione eminebant: ἁγνότης generaliter puritatem denotat; hanc licet vel ad corpus, vel ad doctrinæ modum referre. ἐν γνώσει. Hanc vel myſterii Chriſti cognitionem, vel etiam rectè agendi peritiam interpretare. ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Hoc ego non ad animum *Pauli* ſanctè affectum refero, ſed ad χαρίσματα ſpiritualia à

ſancto Dei Spiritu profecta, quibus ſanctè uſus eſt *Paulus* ad gloriam Dei, & ſalutem Electorum. Metonymia efficientis.

Ver. 7. ἐν λόγῳ ἀληθείας.] Doctrinæ veritatem intelligit. ἐν δυνάμει θεοῦ: ſic vocat divinam illam in dicendo δεινότητα, quâ apud auditores ſuos potens fuit, alios convertendo, alios confundendo; confer 1 *Cor.* 2. 4. ὅπλα δικαιοσύνης vocat inſtrumenta exercendæ juſtitiæ; quæ duplicia facit; Dextra, id eſt, res proſperas; Siniſtra, res adverſas: vocantur autem inſtrumenta juſtitiæ, quia per hæc præcipuè exercendæ juſtitiæ anſa nobis porrigitur: Difficilis locus, nec à quoquam ſatis explicatus.

Ver. 8. ὡς πλάνοι. ſcil. opinione Adverſariorum: ὡς ἀγνοούμενοι, ſcil. Mundo, qui propter inſolentiam Miniſtros Dei quibus anteà conſueverant, ut peregrinos ac planè ignotos averſantur. ἐπιγινωσκόμενοι, ſcil. conſcientiis piorum.

Ver. 9. ἀποθνήσκοντες.] ſcil. aſſiduis vitæ periculis expoſiti.

Ver. 10 ὡς πτωχοὶ.] ſcil. egeni rerum, atque opum terrenarum. πολλοὺς δὲ πλουτίζοντες. Divitiis ſcil. ſpiritualibus, cùm per Miniſterium noſtrum placuit Deo opes gratiæ ſuæ diſpenſare.

Ver. 11. τὸ στόμα ἡμῶν ἀνέῳγα πρὸς ὑμᾶς.] id eſt, Liberè & cum fiducia vos alloquimur, nihil vos cælamus: Metonymia effecti, ſive adjuncti. ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται. Metonymia adjuncti; nam in lætitia, cæteriſque ei cognatis affectibus, dilatat ſe cor, quodammodò proripere ſe cupiens ad rem amatam.

Ver. 12.

Ver. 12. ὑστενοχωρεῖσθε. id est, in corde nostro tanquam domicilio habitatis, eoque minimè angusto; totum enim cor meum vobis dilatari, id est, amore vestri permisi cor meum totum occupari.

Ver. 13. τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν.] scil. à vobis expecto, adeoque exposco, ut vos scil. vicissim affectus erga me vestros dilatetis.

Ver. 15 ἑτεροζυγοῦντες.] ἑτεροζυγεῖν, est in eodem jugo trahendo alteram oneris partem sustinere: seu mavis, ἑτεροζυγοῦντες sunt, qui quum diversæ sint conditionis, tamen in eodem opere mutuam operam collocant; ut si quis sub idem jugum Bovem & Asinam compulerit, quod prohibet Dominus, *Deut.* 22. 10. Metaphora à bobus vel equis sumpta, quibus necesse est pariter incedere, unumque opus communiter agere, quum sub uno jugo sunt alligati: ut sit sensus; ne participetis operibus infidelium, confer *Eph.* 5. 11. quanquam & illud addendum est ex sequentibus, esse ab omni illorum commercio abstinendum, quo videri possimus aut socii scelerum, aut animos illis addere ad scelera perpetranda. Inferunt hinc *Anabaptistæ*; Ergò, non oportere Christianum ad mensam Domini accedere, quum vident aliquos vitiis conspurcatos ad eandem mensam accedere? *Resp.* Nil tale hîc dicit Apostolus: nam 1, ab Infidelium consortio abstinere jubet, id est, eorum, qui fidem Christi ne [profitentur] quidem; At nostri crimine fortassis aliquo infames, fidem tamen Christi [profitentur.] 2 De societate Idololatriæ loquitur; At mensæ

Domini communio, non eſt Idololatriæ ſocietas. 3 Non ipſum conſortium prohibet, ſed ſcelerum communicationem.

FINIS *Capitis Sexti.*

CAP. VII.

VErſus primus ad Caput proximè præcedens annecti debet: illatio enim eſt ex ſuperiore doctrinâ, ſcil. ideò non eſſe communicandum Idololatris nec animi approbatione, nec corporis præſentiâ: Hujus autem hortationis membra ſunt tria, 1, Res ad quas hortatur; ſunt illæ duæ, 1 Purgatio ab omni inquinamento. 2 Perfectio ſanctimoniæ. 2 Ratio, Promiſſiones divinæ. 3 Medium, Timor Dei.

Reliquum Caput huc tendit; ut *Corinthii* de *Pauli* erga ipſos amore & fide perſuaſi, locum dent ipſius doctrinæ atque hortationibus. Hortatio ponitur, *ver.* 2. χωρήσατε ἡμᾶς, etſi hoc alii aliter interpretentur; ac ſi *Paulus* amoris ἀντιμισθίαν, quâ de ſuprà, hic expoſcat, q. d. Vos me in veſtros animos quaſi ſinus recipite: Ratio eſt ab æquitate ſuâ, atque innocentiâ, quam trium effectuum à ſe remotione teſtatam cupit, 1 Quòd vim nulli inſoleſcendo attuliſſet. 2 Neminem falſa docendo corrupiſſet.

ſet. 3 Neminem bonis ſuis per avaritiam defraudâſſet, *ver.* 2.

Ver. 3. θελήψις eſt; num ergò nos condemnas aut ingrati animi, aut inobedientiæ? *Reſp.* Non hæc dico, ut vos condemnem; Ratio eſt, 1 ab effectu amoris quo eos complectitur *Paulus*; qui amat quos amat non condemnat, immò gravius nihil de iis ſuſpicatur; At ego vos amo, &c. Ergò. Aſſumptio eſt *ver.* 2. probata ex vehementi animi ſui erga illos propenſione, tantâ quidem illâ, ut paratus ſit non tantùm vivere cum illis, ſed & mortis eſſe comes.

Ver. 4. Veram cauſam hujus admonitionis ſuæ aperit, ſcil. παῤῥησίαν, quam ex perſuaſione amoris erga ſe eorum adhibet, q. d. Hoc dico, non quòd vos condemnare velim ingratitudinis; ſed quòd perſuaſum habeam vos pro amore erga me veſtro hanc meam in loquendo libertatem boni conſulturos; ubi etiam θελήψις utitur hoc modo. *Ob.* At interim aliis anſam porrigis malè de nobis tanquam ingratis judicandi? *Reſp.* Minimè id verò, nam apud vos (& quidem ſolos) liberè loquor; de vobis apud alios magnificè glorior. Secunda hæc eſt amoris *Paulini* probatio. Sequitur tertia: Amoris ſignum non poſtremum eſt, hominem in miſeriis conſtitutum, & dolore penè oppreſſum, recreari & refici allato de alterius rebus benè geſtis, ac pro in ſe affectu, nuncio; atqui ego, inquit *Paulus* in miſeriis conſtitutus miram percepi conſolationem intellectis rebus veſtris, præſertim pio erga me

affectu; Ergò, ego vos amo; Propoſitio omittitur tanquam per ſe nota: Aſſumptio eſt, *ver.* 4,5,6,7. partibus ſuis explicata. 1, Gaudium & ſolatium proponit ſuum, *ver.* 4. 2 Quia quæri poterat, quæ illæ fuerint afflictiones, in quibus conſtitutus gaudium perceperat, addit & locum & ſpecies oppreſſionum, *ver.* 5. 3 Quæ illa erant pietatis indicia, quæ ipſi de *Corinthiis* nunciata ſunt, & per quem indicata, exponit: Nuncius *Titus*, *ver.* 6. Bona nunciata, 1 Pius affectus in ipſum *Titum.* 2 Deſiderium fortaſſe *Paulum* conſpiciendi. 3 Fletus, ſcil. vel ob admiſſum ſcelus, vel ob *Pauli* objurgationem, & ſuſpectam indignationem. 4 Zelus, ſcil. tùm adverſus ſcortatorem illum, tùm contra *Pauli* obtrectatores.

Ver. 8. λύπησα nova eſt; ſuperiùs aiebas dolere te de dolore noſtro, quem ex Epiſtolæ tuæ aſperitate percepimus, quî nunc ais te ex dolore illo noſtro gaudium percipere? *Reſp.* Dolebam certè: hoc concedo, idque hâc ratione, quòd vos contriſtatos vidi Epiſtolâ meâ; At nunc non doleo, immò lætor potiùs, non ſimpliciter quòd doluiſtis, ſed quòd doluiſtis ad reſipiſcentiam: Summa eſt. De dolore veſtro dolebam, de fructu doloris lætor: cur autem de dolore illorum doleret oſtendit, quia in dubio fuit qualiſnam hic eorum dolor fuerit, mundanúſne, an ſecundum Deum? Duplex enim dolor eſt, λύπη ἡ κατὰ Θεὸν, καὶ λύπη ἡ τοῦ κόσμου, ille ſalutaris, hic exitialis: nunc autem cùm perſpectum habeat eos ſecundum Deum doluiſſe, lætari admodum ſe profitetur:

fitetur: cujus lætitiæ rationem assignat, singularem mœstitiæ illius effectum, scil. resipiscentiam, quod ipsum illustrat antithesi contrarii, *ver.* 10. Syllogismus sic habet: de dolore salutifero, & qui resipiscentiam ad salutem profert, jure lætari quis potest; At dolor vester talis fuit; Ergò. Propositio & ejus ratio est, *ver.* 10 Assumptio, *ver.* 9. ut & Conclusio: Assumptionis probatio ponitur, *ver.* 11. ex singularibus hujus illorum doloris effectibus, quos enumerat septem, qui sunt totidem veræ resipiscentiæ indicia, *ver.* 11. Denique, inquit, in omnibus ostendistis vos esse in hoc negotio puros.

Ver. 12. ἀπολογίαν ostendit finem cur scripserit: quæri enim poterat, Si nos puros in hoc negotio deprehenderis, cur scripsisti? *Resp.* Apostolus, finem ostendens scribendi, 1, Negativè, non propter eum qui injuriam fecit, &c. 2 Affirmativè, sed ut curam ac studium suum syncerum pro illis ostendat, id autem ut fidem faciat collatione parium indicat, *ver.* 13. consolationem, inquit, percepimus ex consolatione vestrâ, proinde probabile est, nos ex studio vestri boni scripsisse, *ver.* 13.

Hoc autem Antecedens illustrat ampliùs comparatione majoris; magis autem, inquit, gavisi sumus super gaudio *Titi*; cujus gaudii sui causas indicat duas, 1, Quòd refocillatus sit *Titus*. 2 Quòd ipse in gloriatione suâ de illorum pietate non sit confusus; propterea quòd tales omninò comperit eos esse *Titus*, quales pronunciaverat *Paulus*; quam suam gloriationem illustrat collatione parium;

um; ſicuti, inquit, quæ de *Tito* vobis polliciti ſumus, vera eſſe deprehenſa ſunt, ſic quæ *Tito* de vobis promiſimus itidem ſunt vera comperta, *ver.* 13. 14.

Ver. 15. Effectum hujus obedientiæ illorum commemorat; ex ea enim enatus eſt tenerrimus *Titi* erga nos amor: hanc autem obedientiam amplificat ſigno ſuo, quòd ſcil. eum cum timore ac tremore exceperint.

Ver. 16. Concluſio eſt generalis ex ſuperioribus illata: Denique, inquit, gaudeo, quòd in omnibus poſſim audacter gloriari de vobis.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. Σαρκὸς.] id eſt, Corporis; ſenſus eſt, Ut non ſolùm habeamus caſtas conſcientias apud Deum, ſed totum etiam corpus, ac membra ſingula Deo conſecremus, eique illibata conſervemus: hoc dicit ex eo quod ſomniârunt *Corinthii*, ſufficere ad ſanctimoniam Chriſtianam ſi animos puros ſervarent, etiamſi corpora Idolis proſtituant, atque externam Idololatriam exerceant.

Ver 2. ἠδικήσαμεν, &c.] Tria ponit quibus potiſſimè alienari ſolet populi affectus à paſtoribus. Primum eſt, Manifeſta læſio, ſive injuria. 2, Corruptela quæ fit per falſam doctrinam. 3, Defraudatio aut circumventio in bonis: ſuam dum aſſerit puritatem, obliquè taxat Pſeudapoſtolos.

Ver. 3.

Ver. 3. ἐν ταῖς σπλάγχνοις.] Summum, tenerrimum, ac conſtantiſſimum amorem indicat.

Ver. 5. ἡ σὰρξ ἡμῶν.] Carnem accipit pro toto corpore, vel homine exteriori, q. d. Secundum hominem nihil habui laxamenti; excipit enim ſpirituales conſolationes, quibus interim ſuſtinebatur. ἔξωθεν, id eſt, ut alii, in corpore: ut alii, extra Eccleſiam, id eſt, cum apertis Eccleſiæ hoſtibus. μάχαι, contra hoſtium ſuorum, ſcil. Pſeudapoſtolorum inſultus. ἔσωθεν, id eſt, ut alii, in animo; ut alii, intra Eccleſiam, & quaſi ex domeſticis orti. φόβοι, ſcil. metuebat infirmis fratribus, ne aut metu dejicerentur, aut Pſeudapoſtolorum fraudulentiâ deciperentur.

Ver. 6. τὸς ταπεινοὺς.] id eſt, Miſeriis dejectos, & penè humi proſtratos. ὁ παρακαλῶν τὸς ταπεινούς. Periphraſis Dei ex effectu.

Ver. 7. ἐν τῇ παρακλήσει.] Metonymia ſubjecti; pro nuncio conſolationis. τῷ ὑμῶν ἐπιπόθησιν, ſcil. *Paulum* præſentem videndi; ſeu mavis, ſatisfaciendi *Paulo* de offenſa concepta, atque ita redeundi in gratiam cum eo. ὀλοφυρμὸν, ſcil. vel de peccatis admiſſis, vel ob objurgationem *Paulinam*. ζῆλον ὑπὲρ ἐμοῦ, quem ſcil. in *Pauli* gratiam oſtenderant, tùm adverſus ſcortatorem illum, tùm contra *Pauli* obtrectatores.

Ver. 8. οὐ μεταμέλομαι.] Rationem oſtendit, cur olim eum pœnituerat ingeſti doloris. εἰ καὶ πρὸς ὥραν. Dolorem illis per literas allatum minuit ex adjuncta brevitate.

Ver. 9. νῦν χαίρω.] Aſſignat cauſam cur jam non

doleat de illorum dolore, immò gaudeat potiùs, ſcil. propter fructum & qualitatem illius doloris. ἵνα pro ὥστε.

Ver. 10. ἡ κατὰ Θεὸν λύπη.] ſic vocat triſtitiam illam, quæ à Spiritu Dei manans ob offenſam Dei potiſſimè concipitur, ac proinde Deo accepta eſt. ἡ δὲ τοῦ κόσμου λύπη: triſtitia mundi eſt, quâ quis dolet ut homines mundo addicti ſolent, nempè, vel propter commodorum amiſſionem, vel propter malorum ſenſum aut metum: exempla ſunt. *Cain*, *Saul*, *Achitophel*, *Iudas*, &c.

Ver. 11. σπουδὴν.] id eſt, Studium ſollicitum, & ſtrenuam ſedulitatem corrigendi quod peccatum eſt, vitæque in melius mutandæ. ἀπολογίαν, genus defenſionis indicat, quod deprecatione magis conſtat, quàm depulſione criminum: quanquam ſi hoc non ad Deum, ſed ad forum humanum referatur, non video quid abſurdi habeat, ſi eos intelligamus crimen à ſe depellere conatos eſſe: nam & teſtatur *Paulus* eos ſeſe omnibus modis in hoc negotio puros eſſe oſtendiſſe: & de juſtitia cauſæ gloriatur apud Deum ſæpiuſculè pſaltes, quanquam illam quæ perſonæ dicitur nunquam ſibi audeat arrogare. ἀγανάκτησιν, id eſt, ſanctam iracundiam adverſus ſcortatorem; fortaſſis etiam erga ſemet, qui tantum ſcelus aut diſſimulârant, aut conſultò tolerârant. φόβον, ſcil. vel Judicii divini, vel peccandi in Deum in poſterum. ἐκδίκησιν, ſcil. tollendi ſcandalum, ac per hoc *Paulo* cæteriſq, ſatisfaciendi. ζῆλος, zelus eſt ardor deſiderii. ἐπιπόθησιν, hoc vel ad ſcortatorem

tatorem referri poteſt, cujus ſceleris ſe ſeveros vindices præſtiterant; vel ad ipſos *Corinthios*, qui ſanctam de ſe vindictam volentes ſumebant, ad humiliationem ſuam teſtandam, & ad futura peccata ſimilia præcavenda. συνεστήσατε ἑαυτοὺς ἁγνοὺς εἶναι: id quomodò dicit Apoſtolus, cùm anteà graviſſimè eos increpârat? *Reſp.* 1, Mos eſt Scripturæ quandoque ſimpliciter negare, aut affirmare id quod ex parte tantùm negandum eſt, aut affirmandum; ut ſenſus ſit: Declarâſtis vos non conſenſiſſe ſceleri quod gravius eſt; ſed tantùm nimiâ tolerantiâ uſos eſſe, quatenùs non ſtatim in nocentem animadvertiſtis; extenuat culpam, non tollit. 2 Hoc de Eccleſiæ corpore intelligendum eſt; non de ſingulis; paucorum enim conniventia aut tolerantia nimia ad communem totius Eccleſiæ infamiam redundârat; cùm tamen pleriſque eorum diſpliceret factum. 3 Diſtingue tempora, convenient res: nam antè pœnitentiam rei erant, poſt reſipiſcentiam hoc, quo deſcribit modo, præſtitam, immunes ſe reddiderant culpæ: non enim imputantur peccata poſt reſipiſcentiam, ſed perindè ſunt apud Deum, & eſſe debent apud homines, ac ſi nunquam perpetrata fuiſſent.

Ver. 2. οὐχ ἕνεκεν τοῦ ἀδικήσαντος.] ſcil. propter ſcortatorem: Synecdoche generis: ſimpliciter negat quod ex parte negandum eſt, q. d. non tàm ejus in gratiam, &c. quàm ut ſtudium meum declarem. ἀδικηθέντος, Quis hic? Reſpondet *Theophylactus*, mulier adultera: ſed 1, hæc in injuriâ inferendâ par-

ticeps fuit. 2 Volenti non fit injuria. 3 Casus masculinus non patitur de fœmina intelligi. Num forsan Ecclesiæ corpus? Minimè omnium: nam horum in gratiam potissimùm scripsisse se mox testatur Apostolus; intellige itaque scortatoris patrem cui hæc injuria allata est, exemplo *Reubenis*, *Gen.* 49. 4. Quæritur iterum, vivúsne an defunctus fuerit pater, cùm socrum suam assumeret filius; nam si mortuus esset, quomodo ad eum pervenire potuit injuria? si vivus, num tantum scelus tolerâsset vel ad momentum Ecclesia? *Resp.* Vivusne an mortuus fuerit nostrâ vix interest scire: ad mortuos pervenire injurias posse, communi patet experientiâ; cùm fama, honor, dignitas, &c. defunctorum per vivos læditur; sensum quidem injuriarum nullum habent; sed hoc ad inferentem injuriam perinde est; si in vivis fuisse concedatur, nihil absurdi sequetur; nam singulare ac planè inauditum fuisse hoc facinus declarat *Paulus*, 1 *Cor.* 6. 1.

Ver. 13. ἀναπέπαυται τὸ πνεῦμα Τίτε.] id est, Animus exhilaratus, & quasi refocillatus est, scil. ex eo quòd viderat eorum erga *Paulum* observantiam, cæteroslque affectus pios, & officia religiosa.

Ver. 14. ἐν ἀληθείᾳ.] id est, ἀληθῶς ἐλαλήσαμεν, scil. de *Tito* apud vos: sensus est: Quandoquidem vos *Titum* comperistis per omnia qualem vobis eum prædicâram, ita quæcunque de vobis jactâram apud illum, vera comperit ille. ἐγενήθη, id est, ἔφη, Hebraismus.

Ver. 15. τὰ σπλάγχνα.] sic vocat insitum atque

tc-

tenerrimum amoris affectum ; Metonymia ſubjecti.

FINIS *Capitis Septimi.*

CAP. VIII.

HOc Capite duo agit Apoſtolus, 1, Hortatur *Corinthios* ad Eleemoſynas alacri animo largiendas in uſus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. 2 *Titum*, & reliquos duos miſſos ad collectam ab ipſis accipiendam illis commendat. Hortationis Argumenta ſunt, 1, Ex genere, quòd gratia ſit, id eſt, donum ex gratia Dei profectum, quum quis alacri promptóque animo alterius ſubvenit neceſſitatibus, *ver.* 1. 2 Exemplum *Macedonum*, quod pluribus amplificat, 1, Ex ratione temporis ac ſtatûſui cùm hanc liberalitatem exercerent, ſcil. cùm multis exercerentur afflictionibus. 2 Ex cauſa corrumpente, extremâ ſcil. paupertate. 3 Ex menſura, ſive quantitate doni, quòd largiùs darent, quàm ipſorum ferebant facultates, *ver.* 2, 3. 4 Ex adjunctâ promptitudine, quam multis modis teſtatam fecêre, 1, quòd ſponte, ac non provocati obtulerunt. 2 Quòd inſtarent precibus ut acciperetur quod darent, ver. 4. 5 collatione Majorum ; non enim ſua ſolùm dederunt, ſed & ſemetipſos primùm

mùm Deo, dein nobis, &c. *ver.* 5.

Tertium Argumentum est *ver.* 6. quòd hoc expectent ab iis *Macedones*; id quod declarat ex petitione, quâ rogabant, ut *Titus* mitteretur ad hanc illorum gratiam percipiendam. 4 Ex eo, quòd aliis virtutibus excellant; danda igitur opera ne in hac deficiant, *ver.* 7.

Ver. 8. παράκλησις est, Num hæc pro imperio dicis? *Resp.* Non; sed alia est causa ad hanc hortationem impellens; atque ea duplex, 1, Aliorum sedulitas, quam velit ipsos imitari, sed non superare. 2 Ut synceritatem amoris eorum exploret.

Ver. 9. Quintum Argumentum est ab exemplo Christi; is pauper factus est, ut nos ditaret; ergò, nos ex nostra copia decidere aliquid debemus ad pauperum inopiam sublevandam.

Ver. 10. Sextum Argumentum est ab utili, quod suo judicio confirmat Apostolus: conducere sic probat. Qui cœperunt non dari solùm, sed cum animi ac voluntatis propensione dare, iis utile est in hoc instituto suo persistere; At vos cœpistis, &c. *ver.* 10. Propositionis Ratio; quia opus inceptum nisi perficiatur jacturam laudis suæ facit: Aliter probatur Propositio, *ver.* 11. ut facto voluntatis promptitudo accessit, sic & voluntati, operis consummatio debet accedere; scil. ut sit opus omnibus suis numeris absolutum, ergò, perficite quod cœpistis: ubi illud monet hoc quod dicit de consummatione operis sic intelligendum, ut ex eo quod habent, id est, pro ratione facultatum suarum fiat eleemosyna.

Ver. 12.

Ver. 12. ... est; At quod habemus parum est? *Resp.* Si ex eo quod habetis, promptè atque alacriter distribuatis, acceptum erit apud Deum.

Ver. 13. Ulteriùs explicat id quod dixerat, οὐ γὰρ ἵνα, neque enim ita intelligi velim, ac si vos velim in aliorum gratiam, ut scil. alii leventur, vos planè orbare facultatibus & gravare inopiâ; sed illud à me dictum existimate, sic mea intelligite verba, ut ex eo quod vobis supereſt, illorum qui indigent inopia præsens farciatur, quod ipsum cum hac conditione & spe velim fieri; ut si fortè vos in posterum egeatis, illi abundent, vestra inopia illorum copiâ levetur; ut ita fiat æquabilitas: hoc ita faciendum probat ex historia de Manna, *Exod.* 16. quemadmodum in collectione Mannæ fieri præcepit Deus, ut qui plus præscriptâ mensurâ collegerat propter agilitatem corporis, ei qui minus colligere valebat, impertiretur de copia sua, unde factum est, ut quisquis haberet quod sufficeret, nemo esuriret; ita in rebus hujus vitæ fieri etiàmdum vult Deus, ut cui majores sunt facultates, ei qui eget ex abundantia sua suppeditet, ut ita æquabilitas servetur: Ratio accommodationis hæc est, Cujus præcepti vel mandati æquitas communis est, & perpetua, ejus etiam substantia est perpetua; At hujus de Manna præcepti æquitas communis est, & perpetua, nempe, ut horum abundantia illorum defectum suppleat, ut ita fiat æquabilitas; ergò etiam præcepti substantia est perpetua: Hæc *ver.* 14. 15. Sequitur commendatio eorum quibus accipiendi

cipiendi collectam cura ab Ecclesiis demandata est; eaque duplex, 1 enim laudat seorsim singulos: dein conjunctim omnes commendat; *ver.* 23. orditur à *Tito*, quem hoc nomine commendat iis, 1, quòd negotium demandatum susceperat. 2 Quòd sponte ad eos properârat; quorum prius tribuit singulari gratiæ Dei flectentis cor ipsius, *ver.* 16, 17.

Ver. 18. Collegam *Titi* alterum commendat trifariam, 1, quòd frater; 2 quòd passim laudatus sit propter industriam & candorem in Ministerio Evangelii; 3 quòd ad deportandi eleemosynas unà cum *Paulo* à tota Ecclesia delectus sit; cujus delectûs & consociationis in officio rationem à fine indicat, scil. ut scandalum vitetur; ne scil. in suspicionem inciderent decidendi aliquid de tanta copia ad commodum suum, *ver.* 19. 20.

Ver. 21. προνοοῦμεν, Cur illud verò? Annon satis tibi conscius es candoris, & fidelitatis tuæ? annon sufficit Deum habere, & conscientiam tuam testes integritatis? *Resp.* Immò procuranda sunt honesta, non solùm coram Deo, sed & coram hominibus.

Ver. 22. Tertium denique Ecclesiæ delegatum commendat ex tribus, 1, quòd frater; 2 quòd sæpè probatus diligentiam & fidem suam probaverat: 3 quòd ad hoc negotium studium ejus auctum est; cujus causam designat, fiduciam de illorum promptitudine conceptam.

Ver. 23. Communis sive summaria omnium commendatio colligitur; quòd *Titus Pauli* socius, &

& consors laborum; reliqui, Ecclesiarum Legati, & gloria Christi.

Ver. 24 Conclusio est, in qua commendationis istius scopus ponitur; quapropter, inquit, cùm adeò commendabiles sint omnes; vos charitatem vestram in eis excipiendis declarate; Ratio adhuc duplex annectitur, 1, Ut ipsius gloriatio vera deprehendatur. 2 Ut Ecclesiæ omnes perspectam habeant eorum pietatem.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. τῆ χάριτι.] intelligit promptitudinem atq; alacritatem in liberali contributione ad usus Ecclesiæ necessarios.

Ver. 2. διακονῆ θλίψεως.] genitivus instrumenti. τ̃ χάριτος, ex consolatione, quam Spiritus iis sub cruce subministraverat. ἡ κατὰ βάθους πτωχεία, Metaphora sumpta à vasis exhaustis, q. d. Exinanitos fuisse *Macedones*, adeò ut jam ad fundum perventum esset, & tamen quasi copiâ diffluentes exuberâsse in Sanctorum refectione. πλοῦτος, id est, copiam ἁπλότητος, ad verbum, simplicitatis: intellige Metonymicè liberalitatem, seu benignitatem ex simplicitate animi profectam.

Ver. 4. τῆ χάριτι.] id est, Gratuitum donum: Metonymia efficientis. κοινωνίαν τ̃ διακονίας, sic vocat donum illud quod ipsi communicare volebant Sanctis, ut *Act.* 2. 42. Metonymia efficientis; commu-

nicationem autem Miniſterii appellat, ex eo quòd in hac communicatione ipſi miniſtrabant Eccleſiæ.

Ver. 5. καὶ οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν.] id eſt, Spem omnem noſtram, atque expectationem ſuperabant. ἀλλ' ἑαυτοὺς ἔδωκαν: ſenſus videtur hic eſſe, q. d. non ſua ſolùm Eccleſiæ diſtribuebant, ſed quod ſpem omnem noſtram ſuperabat, ſemet Deo primùm dediderunt, dein nobis. τῷ Κυρίῳ: id eſt, totos ſe Dei arbitrio regendos permiſerunt, dein mihi tanquam Miniſtro Dei tradiderunt ſemet, ut ſcil. quod mihi videretur æquum in hoc negotio eleemoſynarum ipſi lubentes præſtituri eſſent; cujus ſpontaneæ deditionis ſuæ finem indicat talem, εἰς τὸ παρακαλέσαι, &c. q. d. atque hoc ideò fecerunt, ut hortaremur *Titum*, &c. Aliter, dederunt ſe Deo, id eſt, totos ſe cultui Dei conſecrabant, & mihi tanquam Miniſtro Dei regendos permiſerunt. Aliter, dederunt ſe Deo, id eſt, commendabant ſe Deo, ut de facultatibus ſuis augendis vel minuendis, de cruce vel tollendâ vel continuandâ, quod ipſi videretur ſtatueret; Ac mihi, ut ſcil. quod ego ex voluntate Dei ipſis faciendum ſuaderem hâc in parte, facere parati eſſent. διὰ θελήματος Θεοῦ, id eſt, Deo ſic diſponente adeoque volente; cauſam enim hujus illorum deditionis videtur indicare, voluntatem ſive decretum Dei.

Ver. 6. εἰς τὸ παρακαλέσαι.] hæc primo aſpectu videntur finem indicare *Macedonibus* propoſitum in hac ultronea deditione ſui: ſed propiùs intuenti effectum hujus illorum alacritatis, quem in *Paulo* pro-

produxerat, declarat, q. d. Cùm ergò videremus hanc illorum alacrem promptitudinem, non potuimus quin adhortaremur *Titum*, &c. εἰς ὑμᾶς, id est, apud vos. τὴν χάριν ταύτην: scil. collectam, id est, ut quemadmodum inceperat colligere, atque accipere Eleemosynas vestras, sic progrederetur eandem tùm colligere, tùm accipere, usquedum totũ illud quod in animo est vobis donare, ipse acceperit.

Ver. 7. λόγῳ.] Prædicatione, atque enunciatione veritatis divinæ. σπουδῇ, id est, sedulitate in rebus agendis.

Ver. 8. οὐ κατ' ἐπιταγὴν.] secundum imperium loquimur, cùm certi aliquid injungimus, & præcisè exigimus ut fiat. *Quæst.* Annon licuit *Paulo* hanc libertatem exigere? *Resp.* 1, De certa summa, reliquisque circumstantiis personarum, locorum, quantitatis, &c. in eleemosynis nihil certi aut præscripti imponere Deum; sed hæc omnia ad Legem, sive regulam charitatis exigi velle. 2 Fortassè suo juri hîc cedit *Paulus*. 3 Non hîc statuit *Paulus* quid sibi liceat, aut secùs, sed se ideò negat præcipere, quasi imperio, exactioneve cogendos esse judicet ad hoc officium charitatis. τὸ γνήσιον, id est, germanitatem, id est, synceritatem; nam τὸ γνήσιον τῷ νόθῳ opponit.

Ver. 10. καὶ γνώμην ἐν τούτῳ δίδωμι.] γνώμην hîc opponit τῇ ἐπιταγῇ, q. d. quod nunc dixi, non eò dico, ut imperando cogam ad misericordiam; sed tantùm admonendi sive consulendi causâ dico. τοῦτο γὰρ ὑμῖν συμφέρει, scil. Ratione honestatis & laudis; ut scil.

conſtantiæ laudem aſſequemini. ἀλλὰ ἐχ τὸ θέλειν: num igitur velle plus eſt quàm facere? *Reſp.* Velle hîc alacritatem quandam, & delectationem denotat, quod plus eſt quàm ſimplex facere: tres enim ſunt agendi gradus, Agimus enim interdum inviti, ſed pudore vel metu. 2 Agimus voluntariè, ſed aliundè inducti. 3 Denique agimus proprio inſtinctu, quum ſponte occupamus facere quod decet; talis autem alacritas præoccupandi eſt facto ſuperior.

Ver. 11. ἐκ τῶ ἔχειν.] Præoccupat *Paulus* ſubterfugia; alii enim familias ſe habere cauſantur, quas negligere eſt inhumanum; alii, quia multum dare nequeant, hoc prætextu utuntur ad ſe eximendos; An ego tantillum darem? Has omnes excuſationes tollit Apoſtolus, dum jubet ſingulos pro modo facultatis ſuæ conferre; cujus rationem reddit, *ver.* 12. confer *Luc* 21. 2, 3, 4.

Ver. 13. ἄλλοις ἄνεσις.] ſenſus eſt; nolim ego vos in anguſtias redigi, ut alii liberalitate veſtrâ diffluant. ἀλλ' ἐξ ἰσότητος, id eſt, hoc urgeo ex æquabilitatis lege, hoc eſt, ut nonnulli interpretantur, æquabilitatem ſervari velim; ut ne alii luxurientur, alii fame pereant; ſed qui abundant, egenti ex copia ſua partiantur, ut ſi non æqualitas, æquabilitas ſaltem aliqua ſervetur. Aliter, ἰσότητα hîc intellige mutuam compenſationem, ut ſcil. hi nunc illorum farciant inopiam; ut illi, ſi res poſtulat, horum viciſſim indigentiæ non deſint; cui Expoſitori favent verba proximè ſequentia. ὅπως γένηται ἰσότης: ſcil. Juris Analogici,

nalogici, dum ſcil. pares utrique in hoc ſint, quòd habeant quantum ſufficit neceſſitatibus ſuis.

Ver. 17. τῷ γὰρ παρακλῆσιν ἐδέξατο.] id eſt, meo hortatu negotium ſuſcepit.

Ver. 18. ᾧ ὁ ἔπαινος.] Hunc alii *Lucam* volunt eſſe; cui laudi tribuitur quòd Evangelium tàm præclarè conſcripſerat; alii *Barnabam Pauli* in itinere comitem, vide Act. 13. 1. nihil hîc habemus certi. ἐν τῷ εὐαγγελίῳ: prædicando: Metonymia ſubjecti occupantis; neque enim Evangelium hîc licet Evangelicam hiſtoriam interpretari, ac ſi ibi commendatus fuiſſet; cùm nondum ſcriptis mandata eſt hiſtoria Evangelica.

Ver. 19. σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ.] id eſt, pecuniâ collectâ, Metonymia efficientis. πρὸς τὴν αὐτοῦ τοῦ Κυρίου δόξαν, finem indicat hujus à ſe ſuſcepti Miniſterii duplicem. ἡ προθυμίαν ὑμῶν, ſcil. vel excitandam, vel declarandam, adeóque comprobandam.

Ver. 20. συλλυθῆναι τούτῳ.] Cauſam declarat cur plures huic negotio præfecti ſint, ut ſcil. ſiniſtram de ſe ſuſpicionem averteret, quaſi ex hac tanta pecunia partem aliquam ad ſuum commodum decidere vellet; cohæret autem hoc participium cum verbo συνεπέμψαμεν, *ver.* 18.

Ver. 23. Ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν.] id eſt, Legati ab Eccleſiis ad hoc munus obeundum emiſſi. δόξα Χριστοῦ, Metonymia effecti, ſive ſubjecti; ſic dicti, quia ſingulari eorum fide, pietate, ſcientiâ, &c, exeruit ſe, atque emicuit ſplendidiſſimè gloria Chriſti.

Ver. 24. εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν.] In quarum con-

ſpectu verſamini,& quarum oculi nunc potiſſimùm in vos defixi tenentur, cùm ad vos ipſæ legatos hoſce emiſerint.

THESIS *unica principalis.*

SAnctorum neceſſitatibus alacriter,liberaliterque ſubveniendum eſt. Rationes vide in Analyſi ; ut & regulas conferendi Eleemoſynas.

FINIS *Capitis Octavi.*

CAP. IX.

Cap. IX.

Ver. 1. περίλυψις est ex Conclusione commendationis enata: sic enim *Corinthii* cogitare poterant: quorsum hæc tàm multa de legatis vestris? cur non potiùs hortaris ad munificentiam, ut suprà? *Resp.* Apostolus, quia hoc supervacaneum videri poterat, cujus ratio ponitur, *ver.* 2. quia scil. satis novit eorum ad hoc officium προθυμίαν, quam scientiam suam declarat signo, sive effectu; nam jactârat de eorum promptitudine apud *Macedones*, obiterque indicat illius denunciatæ promptitudinis eorum effectum in aliis; quòd scil. alios incitârat ipsorum zelus; ubi Rhetoricè admodum Argumenta quædam ad eleemosynas alacriter conferendas interspergit.

Ver. 3. περίλυψις alia est; cur ergò legatos mittis, si ita exploratam habeas promptitudinem nostram? *Resp.* Ratio est à fine multiplici, 1, Ne vana sit ipsius jactantia. 2 Ut parati reperiantur. 3 Ne & ipse, & illi pudefiant, *ver.* 3, 4, 5.

Ver. 6. Redit ad hortationem superiorem, ubi & quâ mensurâ, & quo animo danda sit eleemosyna, docet: mensuram proponit, 1, Negativè, non parcè dandum. 2 Affirmativè, sed liberaliter: Ratio ex præmii mensurâ, *ver.* 6.

Ver. 7. Quo animo distribuendum sit, monet; ultro

ultrò scil ac non coactè; cujus ratio ponitur, quia hilarem datorem amat Deus.

Ver. 8. Anticipat quod caro obstrepere solet fore scil. ut largiùs dando in præsenti & nostræ desimus αὐταρκείᾳ, & similibus operibus bonis in posterum non possimus incumbere: utrunque tollit Apostolus; Ratione ductâ ex omnipotentia Dei, *ver.* 8. 2 Ex Scripturæ testimonio, quod vim obtinet promissionis, *ver.* 9. 3 Ex præsenti subministratione divina; nam qui largitur est quod nunc habetis, & potest, & vult in posterum subministrare, & quod vestris par sit usibus, & quod aliis abundè largiamini, *ver.* 10, 11. quæ totidem sunt ad principale propositum Argumenta.

Ver. 11. 12. Nova attexit argumenta duo ad hoc officium provocantia, 1, quòd hoc facto excitabuntur Ecclesiæ ad gratias Deo agendas. 2 Quòd itidem Sanctorum defectus adimplebunt.

Ver. 13. παρενθέτως, Quo modo hoc facto excitabuntur Ecclesiæ ad glorificandum Deum, declarat, quia scil. hoc tanquam experimento declarabunt se verè subditos esse obedientiæ Evangelii; de qua Evangelii potentiâ quis non glorificet Deum? atque insuper quàm simpliciter, ac munificè parati sunt Sanctorum inopiam sublevare.

Ver. 14. Alia duo adnectuntur Argumenta ab effectu, 1, Quòd hoc pacto excitabuntur Sancti ad preces pro iis concipiendas. 2 Singularis erga ipsos amor, singulare desiderium excitabitur in illis; dum eminentem potentiam gratiæ Dei in illis viderint elucentem.

Ver. 15.

Ver. 15. Si *Piſcatoris* explicationem ſequamur, Argumentum affert ab eximia bonitate Dei erga nos, quippe qui Filium nobis ſuum dono dedit ad noſtram inopiam ſublevandam.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. τ̀ διακονίας.] id eſt, de collecta Sanctis ſubminiſtrandâ: Synecdoche generis; oſtendit enim nos, cùm Sanctis ſuppeditamus quæ deſunt, nihil aliud quâm debitum Miniſterium illis præſtare.

Ver. 2. περισσεύω.] ſcil. quod ad animi propoſitum, atque inſtitutum attinet; nam ſi collectam jam factam eſſe indicâſſet, quorſum tàm multis apud eos agit de collecta facienda?

Ver. 4. ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τ̀ καυχήσεως.] id eſt, in hac confidentia jactationis.

Ver. 5. προέλθωσιν.] id eſt, priores advenirent, noſtrum ſcil. adventum præoccupantes. προκαταρτίσωσιν: καταρτισμένον dicitur quod eſt omnibus ſuis numeris abſolutum; vult autem *Paulus* omnia antè confecta eſſe, quàm ipſe ad eos veniat. προκατηγγελμένην, id eſt, antè denunciatam, ſive mandatam; prioris ſcil. Epiſt. cap. 16. 1. ὡς εὐλογίαν, id eſt, beneficentiam, ultrò ſcil. collatam; quemadmodum Deus ſuas nobis benedictiones, id eſt, beneficia, proprio nutu, animóque benigno elargitur. πλεονεξίαν propriè ſignificat avaritiam, & plus habendi cupiditatem; hoc loco per Metonymiam efficientis ſignificat donum

ægrè collatum, qualia ſunt omnia avarorum hominum munuſcula.

Ver. 8. αὐτάρκειαν.] Sufficientiam intellige ſecundum modum quem nobis utilem eſſe cognoſcit Deus; neque enim ſemper expedit nos ad ſatietatem uſque adimpleri.

Ver. 9. ὁ δικαιοσύνη αὐτοῦ, &c.] id eſt, ut alii, beneficentia; ſemper enim habet Eleemoſynarius quod eroget: ut alii, pietas, &c. μένει, ſcil. vel in pari benefaciendi facultate ex benedictione divina; vel in fructu, ſcil. mercede æternâ, non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur τὸ ἔργον τ ἀγάπης ὑμῶν: vel denique, in memoria hominum; nam in memoria æternâ erit juſtus.

Ver. 10. ὁ ἐπιχορηγῶν σπέρμα.] id eſt, qui tibi præſentem elargitus eſt benefaciendi poteſtatem, &c. ſemen enim videtur appellare eleemoſynam; Metaphora.

Ver. 11. πλουτιζόμενοι.] videntur hæc ex *ver.* 8. pendere, ratione caſûs; ſed Hebræam ἀναλλαγὴν hîc agnoſco, ſcil. ut vel abſolutè ponatur, pro πλουτιζομένων ὑμῶν, vel pro verbo, ἵνα πλουτίζησθε.

Ver. 12. ἡ διακονία τ λειτουργίας ταύτης.] λειτουργίας, hîc intellige ipſum munus: διακονίας, muneris functionem, atque executionem. λειτουργίας nomen aliquando ſacrificium ſignificat; aliquando quodvis ſacrum officium publicè peractum; aliquando ipſam muneris ſacri publicam adminiſtrationem.

Ver. 13. διὰ τ δοκιμῆς τ διακονίας ταύτης.] Appoſitio eſt, q. d. per Miniſterium hoc veſtrum, quod ipſis inſtar

inſtar certi experimenti eſt veræ veſtræ obedientiæ, quam Evangelio præſtare profitemini: Hæc etſi ad ſequentia referri poſſunt; tamen ad præcedentia malim annecti, tanquam medium quoddam provocans ad gratitudinem ſignificandam. ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ τ ὁμολογίας: Hebraiſmus, q. d. ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ ὑμῶν ὁμολογουμένῃ, id eſt, ob id quòd facto hoc teſtatam facitis veſtram, quam Evangelio præſtare profitemini, obedientiam: ſiquidem Evangelium fratrum neceſſitatibus ſuccurrere jubet, neque poteſt firmius aliquod exhiberi veræ fidei ſpecimen, quàm ſi hoc modo Sanctis communicemus.

Ver. 15. ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγήτῳ αὐτοῦ δωρεᾷ.] *Piſcator* (cui etiam ſuffragatur *Theophylactus*) hîc Chriſtum cum meritis ſuis intelligit; & argumentum duci vult ab exemplo Dei, tanquam majora donantis. Alii ipſam propenſionem *Corinthiorum* ad communicandum fratribus intelligunt; quam *ver.* 14. vocârat χάριν τοῦ Θεοῦ ὑπερβάλλουσαν, utrovis modo hîc accipias.

Theſis hîc eadem eſt quæ priori capite, novis Argumentis confirmata.

FINIS *Capitis Noni.*

Cap. X.

HOc Capite duo agit Apoſtolus, 1, Reſpondet Adverſariorum calumniæ, quâ illi *Pauli* carpebant tùm præſentis humilitatem deſpicabilem, tùm abſentis audaciam (ut vocabant) inſolentis: Hæc ad *ver.* 12.

Ad hanc calumniam depellendam tranſit obteſtatione utens graviſſimâ: hujus obteſtationis deprecatoriæ, 1, Author proponitur deſcriptus nomine ſuo proprio. 2 μνημεῖα ex adjunctis ſive effectis perſonæ ſuæ, ex hypotheſi Adverſariorum. 2 Medium conteſtationis, manſuetudo & ἐπιείκεια Chriſti, *ver.* 1. 3 Materia, ut ſcil. liceret per eorum obedientiam morigeram non auſteritate, ſed lenitate erga eos præſenti uti: ad quam quidem morigeram obedientiam, adeóque licentiam leniter inter eos agendi extorquendam, utitur duobus Argumentis, 1, à propoſito ſuo, quo ſtatuerat ſeveriùs apud quoſdam agere, quos etiam deſcribit ex cenſura ſua, *ver.* 2. 2 Ab efficacia & potentia Miniſterii ſui; quam pulchrè proponit ac declarat per effectus ſingulares, allegoricâ utens Metaphorâ, eâque non invenuſtâ: effectus autem declarat duos contrarios, 1 ad ſalutem per obedientiam, 2 ad judicium erga inobedientes: hæc ſumma: Ad hanc autem

autem Miniſterii ſui efficaciam declarandam tranſit, παρήλξει utens, quâ calumniæ Adverſariorum reſpondet; erat ea, quòd *Paulus* ſecundum carnem ambularet? Huic eorum calumniæ reſpondet diſtinguendo, inter ambulare [in] carne, & [ſecundum] carnem; illud prius concedit, ſe quidem [in] carne ambulare; ſecundum negat, ſe ſcil. [ſecundum] carnem militare, *ver.* 3. quod poſtremum probat ex armorum ſuorum, quibus in hac militia ſpirituali utitur, potenti ἐνεργείᾳ: ſunt enim δυνατὰ, ergò non σαρκικὰ, δύναμιν hanc ampliùs declarat, 1, ex authore virtutis hujus, ſcil. Deo. 2 Ex effectibus, quos hîc varios commemorat; alios ſalutares; exitialem alium: ſalutares explicat, 1, Metaphoricè. 2 Simpliciter, ac nudè, *ver.* 4. 5. exitialem, *ver.* 6.

Ver. 7. Per Apoſtrophen ſuam aſſerit authoritatem, perſonæque dignitatem, 1 Comparatè in paribus, ut illi Chriſti ſunt, ſic nos Chriſti ſumus: dein amplificat hanc ſui commendationem, collatione majorum in enunciato diſcreto; etiamſi plura de nobis hac in parte profiteremur, non pudefieremus; cujus Ratio ponitur à conceſſâ ſibi poteſtate Apoſtolica, quam ipſam fine ſuo declarat, *ver.* 8.

Ver. 9. Abrumpit gloriationem ſuam, additâ ratione à fine.

Ver. 11. Apertè calumniatori reſpondet, ſuamque aſſerit in munere Apoſtolico conſtantiam.

Reliquo Capite inſtituit *Paulus* comparationem diſſimilium inter ſe, & Pſeudapoſtolos: Illi ſuæ ſunt laudis buccinatores, cujus cauſam aſſignat,

quòd semet sibimet compararent, *ver.* 12. nos non item; Redditio primò ponitur: Illi ultra regulam & mensuram suam gloriantur, nos non item, πρίτασις intelligitur: ἀπόδοσις ponitur negativè, 1, Dein affirmativè, *ver.* 13. & probatur signo sive effectu, *ver.* 14. quia scil. ipse ad eos pervenerat Evangelium prædicans, *ver.* 15. quid sit ultrà regulam & mensuram suam gloriari exponit, nimirum, de alienis laboribus, & rebus gestis in Evangelio gloriari.

Quod autem regulam suam *Corinthios* solos dixerat, nunc corrigit; neque enim illi soli *Paulo*, tanquam ager Dei, excolendi dabantur, sed & aliæ etiam gentes ultra illos; id quod tacitâ προλήψει antevertit: objici enim poterat, Pseudapostolos illos ad alias etiam Gentes pervenîsse Christum prædicantes, proinde esse *Paulo* præferendos? Respondet Apostolus, se nondum quidem ulteriores regiones peragrâsse, sed in causa esse non suam desidiam, aut muneris commissi neglectum, verùm *Corinthiorum* fidem imbecillam; unde profitetur sperare se, fore ut cùm illorum fides adaucta fuerit, ad alios etiam sibi demandatos proficiscatur, *ver.* 15. 16.

Ver. 17. Abrumpit hanc suam gloriationem gravissimo mandato; cujus etiam implendi rationem assignat gravissimam, *ver.* 18.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. διὰ τὸ πραΰτητος, καὶ ἐπιεικείας τοῦ Χριστοῦ. cujus scil. Ego imitator esse cupio inter vos, ac proinde ita me

me submissè apud vos gero; de hac autem Christi mansuetudine, vide *Mat.* 11. 29. *Isa.* 42. 2. *Mat.* 12. 18. ὃς κατὰ πρόσωπον ἐν μιμητικῶς dicta sunt ex opinione Adversariorum; κατὰ πρόσωπον, id est, coràm, quod posteà dicit παρὼν, *ver.* 2. ταπεινὸς, id est, propter summam animi mei demissionem, abjectus ac nihili æstimandus. θαῤῥῶ, id est, audacter & satis pro Imperio ago.

Ver. 2. δέομαι δὲ.] Epanalepsis; verbum synonimum repetit, ut quod orat explicet. παρὼν θαῤῥῆσαι, id est, ut ita vos geratis, ut non necesse habeam eâ uti apud vos confidentiâ & παῤῥησίᾳ, quam nonnullis placet audaciam appellare. λογίζομαι, Activè sumi videtur, id est, cogito, sive statuo. ὡς κατὰ σάρκα περιπατοῦντας: κατὰ σάρκα περιπατεῖν hoc loco dicuntur ii, qui Ministerium obeunt atque exequuntur humanis præsidiis, ac proinde infirmis freti.

Ver. 3. ἐν σαρκὶ γὰρ περιπατοῦντες.] id est, corpore hoc induti, humanisque vestiti infirmitatibus viventes. στρατεύομεθα, Ministerium comparat militiæ cuidam, ut & alibi 1 *Tim.* 1. 18.

Ver. 4. οὐ σαρκικὰ.] nec proinde infirma: Alii aliter carnalia arma interpretantur, divitias, gloriam, potentiam mundanam, famulitia, &c. ὅπλα hîc intellige militiæ hujus instrumenta, scil. doctrinam cum zelo & bonâ conscientiâ conjunctam. τῷ Θεῷ, Authorem potentiæ indicat Deum prædicationi nostræ cooperantem. πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων.] Metaphoricè sic appellat quicquid Christo, ejusque Evangelio sese opponit. λογισμοὺς, sic vocat consilia & astus

aſtus Satanæ & naturæ corruptæ. ὕψωμα appellat quamlibet mundi gloriam, & potentiam; duobus enim modis ſeſe Chriſto opponit Mundus; aſtu, & vi; utráque hæc tollit Evangelii Miniſterium, ſunt iſta in ſingulis nobis nondum renatis.

Ver. 5. αἰχμαλωτίζοντες] eſt hoc continere & frænare libertatem humani ingenii, ne quid extra doctrinam Chriſti ſapiat: αἰχμαλωτίζεσθαι dicitur, cùm ita quis capitur, ut nequeat reluctari, nec ſe capienti obſiſtere: Captivitatis itaque nomen duo ſignificat, & à libertate prolapſum, & abſolutam capturam: obſervatu dignus hic eſt proceſſus Miniſterii *Paulini*, 1, Demolitur adverſa Chriſto. 2 Capit. 3 In obedientiam Chriſti traducit: quidam demoliuntur tantùm: alii capere volunt priuſquam vicerint hoſtem: alii non urgent victum, nec capiunt; confer *Ier.* 1. 10.

Ver. 6. ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες ἐκδικῆσαι.] Vindicta hæc de qua loquitur, fundata eſt in Chriſti verbo, *Mat.* 16. 19. & 18. 18. Tametſi enim non ſtatim fulminet Deus, cùm Miniſter ſententiam protulit, ratum tamen eſt judicium, & ſuo tempore implebitur: ſunt qui hæc de temporalibus pœnis intelligi volunt, quales *Elimæ*, *Ananiæ*, &c. inflictæ ſunt ab Apoſtolis: hæc autem poteſtas extraordinaria fuit, & temporaria.

Ver. 7. τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε.] id eſt, Itáne verò in æſtimandis hominibus externam illam ſpeciem, ac larvam intuemini? εἴ τις, &c. q.d. Si etiam ex externis hiſce me velitis metiri, invenietis parem. χρὴ

εἶναι

εἶναι, scil. Ministrum. ἀφ' ἑαυτοῦ, id est, ultrò & à me non admonitus: Aliter, ex iis quæ in se videt indiciis vocationis ad Ministerium Christi, quæ ipsa in me reperiet.

Ver. 8. περὶ τῆς ἐξουσίας.] scil. ἀποστολικῆς. οὐκ αἰσχυνθήσομαι, esset enim justa gloriandi materia. οὐκ εἰς καθαίρεσιν, quomodo ergò mœchum tradi jubet Satanæ, & *Corinthios* terret minis? *Resp.* Hoc de fidelibus imprimis intelligendum, quorum respectu omnia fecit ad ædificationem. 2 Quòd destruuntur quidam & perduntur, id fit per accidens; culpâ scil. eorum qui in lapidem illum impingunt. 3 Ipsa insanabilis membri amputatio, ad sanitatem reliqui corporis spectat; sicuti Medicus aliquando ad urendum & secandum accedit, sed ut reliquo corpori consulat. 4 Mœchum hunc tradidit Satanæ, ut spiritus salvus fieret, 1 *Cor.* 5. 5.

Ver. 9. ἵνα δὲ μὴ δόξω.] Correctio est, & aposiopœsis quædam, q. d. sed reprimo me, ne videar (quod objiciunt quidam) vos epistolis territare.

Ver. 10. ἀσθενὴς.] id est, quæ nihil præ se ferat majestatis aut authoritatis. ὁ λόγος ἐξουθενήσεως, id est, non referens eam authoritatem, quâ tonant & fulminant epistolæ.

Ver. 12. οὐ γὰρ τολμῶμεν.] Ironicè carpit eorum insolentem jactantiam. ἐγκρῖναι, inserere, sive annumerare. συγκρῖναι, id est, conferre me ut parem. *Quæst.* Hoc quod à se removet *Paulus*, tamen facit; professus enim nolle se gloriari, gloriatur tamen? *Resp.* 1 Coactus facit, non ultrò. 2 Non suam quærit

rit laudem, sed Dei. 3 Non, ut alii, mentitur esse se quod non est. ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες: ἐν ἑαυτοῖς, id est, ut plerique, μετρεῖν ἀλλήλων, ut intelligas, eos sese non cum aliis præstantioribus metitos esse, sed cum sui similibus; unde sit factum, ut non intelligerent, quàm procul abessent ab eo gradu, in quo sese collocabant; veluti si luscus sese cum cæcis comparat: *Beza* aliter, ac si singuli ex eo quod quisque persuasit sibi se habere, metiti essent, suo ipsorum de judicio contenti.

Ver. 13. ἡμεῖς δὲ οὐ τὰ ἄμετρα καυχησόμεθα.] quid hoc sit εἰς τὰ ἄμετρα καυχᾶσθαι, declarat, *ver.* 15. scil. de alienis laboribus gloriari. καὶ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος: μέτρον & κανὼν sæpè pro eodem sumuntur, scil. pro ipso mensorio instrumento, hîc necessariò distinguuntur; ut μέτρον sit quantitas rei admensæ, κανὼν, illud ipsum quod alicui admensum est; intelligit autem territorium illud quod Deus ipsi Evangelio excolendum tradiderat, quodque ipse obeundo munus suum, actu jam excoluit. Sunt qui hæc ad dona & mensuram gratiæ *Paulo*, & Pseudapostolis datam referunt, sed rectiùs ad locum referuntur. Sensus itaque est: Non ut Pseudapostoli nos gloriamur de iis Regionibus nescio quot & quibus, quas gloriantur illi quidem obiisse se Evangelium prædicando, cùm non obiverint, sed contenti sumus memorare eas, quas divinâ bonitate obivimus, civitates: ex. gr. vos, ad quos pervenimus, reipsâ Evangelium prædicantes.

Ver. 14. Declarat apertiùs quod dixerat, se scil. non

non ultrà quàm par eſt extendere ſe gloriando; gloriatur enim de hoc ſolùm, quòd ad *Corinthios* pervenerat, ad quos reverâ pervenisſet Evangelium prædicando.

Ver. 15. Cauſam declarat, cur nondum alias regiones peragrâſſet ultra *Corinthum*; infirmitatem ſcil. fidei *Corinthiorum*. ἐν ὑμῖν, *Beza* ad αὐξανομένης refert, & tunc ſubjectum fidei recipiens denotat: alii ad μεγαλυνθῆναι, & tùm efficientem adjuvantem, q. d. veſtrâ operâ magnificabimur. κατὰ τὸν κανόνα ὑμῶν, id eſt, ἐν τῷ κανόνι ὑμῶν, ſic vocat ſpatium illud, quod ipſi dederat Deus Evangelio excolendum; quaſi Deus terrarum orbem inter Apoſtolos diviſerit: ſic apud *Hebræos* hæreditas dicitur, eodem tropo, *ghoral*, id eſt, Spes; & cum ſex punctis *chobel*, id eſt, Funis, quòd funibus agros metirentur. εἰς περισσείαν, hoc videtur proximis verbis explicare, per τὰ ὑπερέκεινα, &c.

Ver. 16. ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι.] id eſt, vel in alterius territorio, ſive juriſdictione, vel de alienis laboribus in ſua juriſdictione. εἰς τὰ ἕτοιμα, confer *Rom.* 15. 18, 19, 20. taxat obliquè Pſeudapoſtolos, qui cùm in alienam meſſem manus ſuas intuliſſent, gloriabantur de ea tanquam ſua.

FINIS *Capitis Decimi.*

Cap. XI.

Apostoli scopus hic est, ut justas suas laudes enumerando Authoritatem suam Apostolicam, ut & doctrinam vindicet à contemptu *Corinthiorum*.

Ver. 1. 2. 3. Exordium est ad benevolentiam, attentionémque conciliandam, ubi 1 est ὄφελον. 2 ἀνέχεσθε per correctionem adjecta: quod hîc optat, adeoque imperat tale est, ut ipsum suas laudes prædicantem audire sustineant: hujus deinde tolerationis rationes ponit, 1, Quia zelatur eos. 2 Quia zelo Dei; id quod effectu sive signo duplici confirmat, 1, Quòd eos tanquam paranymphus Christo soli aptâsset. 2 Quòd metuat eorum adulterationi, id quod simili sive pari declarat: utrúmque hoc zelotypiæ indicium est.

Ver. 4. φρονήσατε ostendit causam cur eorum adulterationi metuat; est autem ex levitate illa quam semper ostendebant in recipiendis Pseudapostolis. *Ob.* Cur nostræ metuis adulterationi? *Resp.* Quia hoc video vos esse animo, ut quemvis alterum salutis authorem prædicantem libenter sustineatis, veros autem Apostolos Christi, quorum è numero memet ego existimo, repudietis.

Ver. 5. Altera adhuc φρονῶ est; *Ob.* Cur nos ad Pseudapostolos recipiendos adeò proclives esse putas?

putas? *Sub.* Quia me, ſummis Apoſtolis nihilo inferiorem, rejicitis; alios prorſus alia prædicantes excipitis. Syllogiſmus ſic habet: Qui ad Pſeudapoſtolos recipiendos proclives ſunt, contemptis veris Chriſti Apoſtolis, eorum Adulterationi jure metuo; At vos ad Pſeudapoſtolos, eorumque Pſeudo-Chriſtum, & Pſeudo-Evangelium, & Pſeudo-Spiritum excipiendos proclives eſſe video, me contempto; ergò, jure vobis metuo: confer ſimile Chriſti de ſe dictum, *Ioh.* 5. 43.

Ver. 6. Novâ προλήψει præoccupat quod objici poterat contra hanc quam prædicat ſuam cum eximiis Apoſtolis paritatem. *Ob.* Sermone rudis es, cæteri diſerti? Ergò, illis inferior es. *Reſp.* 1, Conceſſione, fateor, inquit, me ſermone quidem rudem eſſe. 2 Correctione, At non ſcientiâ: immò quod majus eſt, in omnibus manifeſti ſumus apud vos.

Ver. 7. ἐπάναφορα adhuc altera; quæ antevertit novam objectionem contra eâm quam ſibi tribuerat cum cæteris Apoſtolis paritatem. *Ob.* Tu vilis apud nos, nullíuſque pretii videbaris, cæteri glorioſi? tu gratis Evangelium prædicâſti, id quod non feciſſes, ſi te pari cum illis jure uti potuiſſe hâc in parte cenſuiſſes? Reſponſio ponitur figuratâ communicatione, *ver.* 7. Interrogatio eſt vim habens negationis, q. d. Hoc mihi vitio vertendum non eſt, quòd abjectum me vobis exhibuerim: Ratio eſt à fine; ideò enim me abjeci, atque humiliavi, ut vos exaltaremini: quòd autem non eorum ſumptibus prædicârit Evangelium, oſtendit in cauſa

fuisse, non quòd non haberet par jus cum aliis hâc in parte, sed primò, quòd partim labore manuum suarum, partim aliarum Ecclesiarum liberalitate, defectus sui sarcirentur. 2 Ut ipsis gravis, aut onerosus non esset; Hæc *ver.* 7, 8, 9. id quod ampliùs declarat proposito suo etiam de futuro; ἐτήρησα, καὶ τηρήσω.

Ver. 10. Præoccupat iterum suspicionem futuri sumptus: sic enim suspicari poterat quispiam: hoc nobis exprobras, ut in posterum tibi suppeditemus quod hactenus defuit? *Resp.* Nequaquam, inquit, nam non solùm apud vos *Corinthios*, sed & in universa *Achaia* statui apud me gratis Evangelium prædicare; id quod jurejurando confirmat.

Ver. 11. Alia est παράλυσις: *Ob.* A nobis nihil accipis, quòd nos non ames; neque videri vis nobis hoc nomine devinctus; quos enim amamus, iis familiariùs utimur, atque ab eis officia amicitiæ libenter accipimus? *Subjectio* duo habet, 1, Protestationem amoris erga illos sui, jurejurando confirmatam. 2 Expositionem veræ causæ, quâ motus ab hoc juris sui usû abstinuerit: est ea duplex, 1, Ut præripiat Pseudapostolis calumniandi ansam, quasi sua quæreret in Evangelio prædicando. 2 Ut nihilo sit inferior Pseudapostolis hac in parte; nam & ipsi jam locupletati gratis quandoque Evangelizabant: Hæc *ver.* 11. 12.

Ver. 13. παράλυσις nova ex eo quod postremò dixerat enata: sic enim objici poterat, cur mallis parem fieri velle dicis, quòd nihil accipias? *Resp.* Hoc ideò

ideò dico, quòd eos video fucum facere vobis; & ut videantur ſyncerè agere in Evangelio prædicando, videri volunt gratis evangelizare, quò ſic pro Apoſtolis Chriſti habeantur.

Ver. 14. συνάψει probat à majori quod de Pſeudapoſtolis dixit, eos ſcil. transformare ſe in Apoſtolos Chriſti: non, inquit, hoc mirum videri debet; nam ſi Satanas ipſe Princeps tenebrarum, ſe in Angelum lucis transformat, quid mirum, ſi Miniſtri illius transforment ſe in Miniſtros juſtitiæ? hîc autem obliquè taxat Pſeudapoſtolos hypocriſeos; ſimulque iis denunciat judicium divinum, non ſecundùm ſpeciem fucatam, ſed ſecundùm opera illis infligendum.

Ver. 16. Exorſurus jam apertiùs gloriationem iterum, veniam precatur, ſeu potiùs deprecatur inſipientiæ cenſuram; deinde corripit ſe; quod ſi inquit, ut inſipientem accipitis, ſinite ut hoc, jure meo utar, ſcil. ut inſipientum more ineptiam pauliſper, juſtas laudes meas prædicando.

Ver. 17. At hoc non facis ſecundùm mandatum, aut exemplum Domini, qui nobis gloriatione omni interdicit? *Reſp.* Conceſſione utens, eſto, inquit, quòd non ſecundùm Dominum loquor, quod loquor in hoc argumento gloriationis, ſed tanquam inſipiens; At gloriabor tamen: cujus ſui propoſiti rationem primò affignat duplicem, 1, Quòd alii gloriantur, *ver.* 18. 2 Quòd ipſi lubentes gloriantes ſuſtineant audire, cujus & cauſam aperit ὑπομενετε, ſcil. quod ſapientes ſint: tùm ſignum, quòd quovis

vis modo gloriantes, seseque efferentes ferant, *ver.* 19, 20.

Ver. 22. πρὸς ἐντροπὴν est ad interpretationem spectans. *Ob.* Nos colaphis nunquam cæciderunt? *Resp.* Hoc non simpliciter, & ad literam dico, sed comparatè & quasi per Metaphoram, respectu scil. contumeliæ illius quâ vos afficiunt imperiosi isti Domini; quæ sanè non minor, quàm si vos vilium mancipiorum instar colaphis cæderent; id quod (*Bezâ* interprete) pari exemplo suo declarat; ὡς ὅτι, &c. seu mavis, causam hîc aperit cur ipsum præ illis contemnant, scil. propter infirmam, vilemque suam, quam præ se ferebat, conditionem, cui nunc opponit justas laudes suas; sic præparans viam ad gloriationem suam; ἐν ᾧ δ' ἄν, &c. q. d. quantumvis vobis ego præ illis infirmus videar, tamen ausim egomet me illis conferre, etiam in iis de quibus gloriantur maximè.

Ver. 22. Jam gloriationem orditur suam; partim se ut parem cum illis conferens, partim ut præstantiorem præferens: *Hebræi* sunt? &c. externa hæc privilegia illis per concessionem ironicam permittit, deinde sibi pari sive majori jure assumit; parium collatio est, *ver.* 22.

Imparium, *ver.* 23. & sequentibus, ubi se illis præfert atque anteponit: comparationis hujus impâris materia sunt afflictiones atque labores: sunt autem duplicis generis, ut ipse dividit, *ver.* 28. extrà & intrà; extrà quæ sunt enumerat, partim species varias inducens, partim eas frequentiâ, locis,

cis, perſonis inferentibus diſtribuens, ad *ver.* 28. Intrà ſunt curæ de Eccleſiis omnibus; quarum & multitudinem indicat; ἐπισύστασις, &c. & effectum, ſive ſignum, ſcil. συμπάθειαν, compatitur enim afflictis omnibus, *ver.* 28, 29.

Ver. 31. Ne hæc falsò de ſe prædicare exiſtimaretur, Deum invocat veritatis teſtem.

Ver. 32. 33. Singulare periculorum ſuorum exemplum profert, ubi & inſidiæ memorantur, loco, perſoniſque declaratæ; tùm liberatio ab inſidiis; cujus etiam media & modus indicantur.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. τῇ ἀγερωχίᾳ.] Sic vocat laudum ſuarum prædicationem; Metonymia efficientis, & Metaphora; ſic enim ferè ſolent inſipientes.

Ver. 2. ζηλῶ.] id eſt, ut rectè *Eraſmus*, zelotypus ſum; tritum enim illud eſt, conjugium eſſe ſpirituale inter Chriſtum & Eccleſiam; Miniſtros tanquam procos eſſe pro Chriſto, & paranymphos, qui ornent & adaptent ſponſam Chriſto: vide *Perk.* ad *Gal.* 4. 18. Eſt autem zelotypia affectus ex amore, timore, irâ mixtus; ex amore provenit deſiderium vivendi cum re amata, idque ſine ſocio aut rivali; ex quo amoris affectu oritur timor, ne rem amatam deperdamus; ex timore deinde ſuſpicio ex quavis cauſâ; ex ſuſpicione, obſervatio cujuſlibet geſtûs, nutûs, ſermonis, &c. ex perſpecto

aliquo alienati animi judicio, ira vehemens & indignatio præcipuè in eum, qui à nobis rem amatam ſurripere conatur. ζῆλω θεοῦ, eſt enim zelotypia duplex, 1, Quæ ab amore noſtri proficiſcitur, vide *Gal.* 4. 18. 2 Quam pro Deo ſuſcipimus. ἁρμοσάμην γὰρ, &c. probat ſe non ſuâ cauſâ, ſed Chriſti zelotypum eſſe; utpotè qui Chriſto ſoli eos Evangelio prædicando aptâſſet.

Ver. 3. φθαρῇ.] Ne paulatim à ſimplicitate doctrinæ deflectendo, tandem deficerent à Chriſto. ἀπὸ τῆ ἁπλότητος, id eſt, à ſimplici doctrina: hoc autem metuit propter Pſeudapoſtolorum blandiloquentiam & verſutiam.

Ver. 4. ἄλλον Ιησοῦν.] plærique interpretes ellipſin hoc toto verſu agnoſcunt, q. d. Si Pſeudapoſtoli veſtri alium Jeſum, id eſt, ſalutis Authorem, &c. prædicâſſent, quàm nos, rectè & jure eos admittere potuiſſetis, nobis contemptis; nunc cùm neque novum quid adferant, neque præſtantius quàm nos; miror quî fiat, ut eos tanto honore habeatis, nos nihili æſtimetis: ſed aptiora ſunt quæ in Analyſi poſuimus.

Ver. 5. τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων.] vel veros hîc intelligе Apoſtolos, ut *Gal.* 2. 6. vel ironicè Pſeudapoſtolos, ſic ſe ſupra omnes efferentes.

Ver. 6. ἰδιώτης τῷ λόγῳ.] Ἰδιῶται propriè dicuntur privati, id eſt, plebeii, & ex medio vulgo homines, qui quoniam non ita liberaliter ſunt educati, ferè ſunt excellentium rerum, ac præcipuè Oratoriæ facultatis prorſùs imperiti; Metaphora. *Quæſt.* Num

Num imperitus loquendi *Paulus? Resp.* Immò facundus admodum; est autem perorandi facultas duplex, 1, Quæ Rhetorum pigmentis hominum animos allicere conatur; altera, quâ in verborum simplicitate emicat δυνάμις quædam, & quasi majestas inter dicendum, ad animos auditorum parcellendos potentissima, hæc posteriòr *Paulo* adfuit; confer 1 *Cor.* 2. 4. dilucidiùs apparet Spiritûs Sancti efficacia, in verborum rusticitate, quàm in nitoris larva.

Ver. 8. ἐσύλησα.] Grandis Metaphora, id est, plus quàm par erat, accepi.

Ver. 17. ὃ λαλῶ κατὰ Κύριον.] id est, vel ex mandato, vel ex exemplo Christi; nam gloriari de externis vetat Dominus; nec suam laudem prædicat Christus, sed tantùm ad res gestas remittit: loqui autem videtur per concessionem, sive ex opinione Adversariorum: neque enim sic intelligendus locus, quasi nullâ habitâ divinæ voluntatis ratione, ad suas laudes prædicandas adveniisset; nam permittit Deus quandoque, ad famæ tutelam, ad Evangelii propagationem, &c. nostras laudes deprædicare.

Ver. 20 ἀνέχεσθε γάρ.] Socordiam eorum taxat, quippe qui se Pseudapostolis in tàm pudendam servitutem addixissent. κατεσθίει, scil. immodico sumptu. λαμβάνει, scilicet, munera. ἐπαίρεται, Arrogantiâ scil. intolerabili insolescens.

Ver. 23. ἐν θανάτοις. Mortes vocat pericula præsentem mortem minitantia; Metonymia effecti.

Ver. 24. τεσσεράκοντα παρὰ μίαν.] Lex erat, *Deut.* 25. 3.

ut qui pœnam capitalem non essent commeriti, cæderentur coram Judice ; hâc lege ut quadraginta plagarum numerum non excederent. *Qu.* Cur unam omiserunt in *Paulo* cædendo ? *Resp.* Fortassè simulatâ humanitate, fortasse in triceſſimo nono ictu finis fiebat, ne fortè aliquando calore incitati numerum à Deo præscriptum excederent.

Ver. 25. ἐῤῥαβδίσθην.] scil. à lictoribus Gentium. ῥαβδίζω, *Lyſtris*, *Act.* 14. 18.

Ver. 27. ἐν νηστείαις.] Voluntariè scil. susceptis; fames enim oritur ex necessitate, jejunium ex voluntate.

Ver. 28. ἡ ἐπισύστασίς μου.] propriè dicitur multitudo quæ adversus aliquem coierit, idque repetitis vicibus. ἡ μέριμνα, per appositionem, sive εἰδικῶς additur ; intellige ergò multiplices curas, quibus tanquam agmine quodam obruebatur.

Ver. 33. Quæritur, num rectè fecerunt *Paulus* & fratres, cùm legem de muris non transiliendis violarent ? *Resp.* Rectè ; Finis enim Legis est, ut hostes ab incursu arcerentur, nec vetat proinde, ut Civis se ab incursu hostis sui transiliendo murum propripiat : scitè *Cicero* ; etiamsi peregrinum lex arceat à muri accessu, minimè tamen peccat, qui murum conscendit servandæ urbis causâ ; quia Leges semper ad æquitatem flectendæ sunt.

THESIS

THESIS *unica principalis.*

MIniſtro Chriſti licet ſuas laudes prædicare, urgente neceſſitate; cùm ſcilicet ex noſtra apparente infirmitate, Authoritas verbi periclitatur.

FINIS *Capitis Vndecimi.*

CAP. XII.

PErgit Apoſtolus gloriando: novam autem nunc ſumit gloriationis materiam, viſiones ſcil. & revelationes: Ad hanc autem gloriationem tranſiens utitur προοιμίῳ, *ver.* 1. Procœmii vice. *Ob.* Non expedit gloriari? *Reſp.* Concedo, inquit, ſed tamen veſtram in gratiam viſiones mihi à Deo conceſſas enumerabo: Sequitur viſionis narratio, ad *ver.* 5. ubi 1, eſt modus proponendi. in tertia perſona. 2 Tempus. 3 Excellentia, nam in ecſtaſi quadam poſitus eſt. 4 Ipſa viſio, cujus partes duæ, 1, Raptus in cœlum. 2 Auditio rerum inenarrabilium. Iterum modeſtiæ cauſâ per ἀπόφασιν ironicam à ſe gloriæ venandæ ſuſpicionem amolitur; cùm ſe nolle ait de ſe gloriari, corrigit autem ſe, niſi de infirmitatibus, *ver.* 5.

Ver. 6. πρόληψιν habet: *Ob.* Nonvis gloriari, quia non habes gloriandi materiam justam? *Sub.* Immò, inquit, habeo de quo jure possim gloriari. *Ob.* Cur non gloriaris? *Sub.* Ne quis de me supra id quod fas est cogitet.

Ver. 7. Ponitur consequens quoddam hujus visionis, quod etiam annumerat infirmitatibus suis, & ut *Calvino* placet, attexit tanquam causam novam cur gloriari noluerit: est illud, tentatio quædam gravissima; illustrata, 1, Causâ efficiente, ἐδόθη. 2 Acrimoniâ, σκόλοψ. 3 Instrumento, Satanæ Angelo. 4 Fine, ne extolleretur. 5 Effectu in *Paulo*, scil. instanti oratione; quæ ipsa amplificatur, 1, Objecto, Domino. 2 Frequentiâ, τρὶς. 3 Materiâ, ἵνα ἀποστῇ. 4 Successu, responso scil. Domini, quod precatus tulit, *ver.* 8 id quod per mimesin enunciat.

Ver. 9. πορίσματι quodam utens ex superioribus, causam assignat de infirmitatibus malit gloriari, quia scil. in infirmis potissimùm virtutem suam exerit Deus, id quod etiam experientiâ comprobatum esse suâ declarat, *ver.* 10.

Ver. 11. Abrumpere volens gloriationem suam, excusat se quòd gloriationem istam aggressus sit: Causam autem ad ipsos *Corinthios* transfert: id quod probat, quia illi in officio suo defuerunt: Debueram à vobis commendari, q. d. Aut egomet, aut vos meas prædicare laudes debuimus; vos non fecistis; ergò mihi necesse fuit, &c. Debuisse autem illos *Paulum* commendare, probat, ex me-

ritâ

ritâ de iis laude; id quod probat, quia cæteris Apostolis nihilo fuit inferior; atque hoc probat, 1, Quia signa Apostoli in ipso edita sunt, *ver.* 12. 2 Quòd in Evangelii prædicatione, atque Ecclesiæ *Corinthiacæ* ædificatione par cæteris fuerit Apostolis; adeò ut nihilo essent *Corinthii* inferiores cæteris Ecclesiis, *ver.* 13. ubi correctione utitur εἰρωνικῇ, ad depravatos Pseudapostolorum mores designandos.

Ver. 14. Id quod dixerat, scil. se *Corinthiis* non fuisse sumptibus gravem, amplificat collatione majorum: non solùm, inquit, nondum fui onerosus, sed nec in posterum futurus sum, inquam, hac in parte gravis: Ratio 1 ex proposito agendi, sic; Non vestra, sed vos quæro. 2 Ex æquo, quia paternè affectus sit erga eos, & more paterno providus.

Ver. 15. Rursus per climacem Rhetoricam amplificat affectum hunc erga eos benevolum, adeòque beneficum, non solùm non onerosus vobis futurus sum, sed & mea pro vobis impendam; immò, quod magis est, memetipsum impendam pro animabus vestris; quam dilectionem suam amplificat Antithesi diversorum, *ver.* 15.

Ver. 16. πρόληψις est μυνητικῶς enunciata, 1, Concessio est, esto, ipse non gravâsti nos. 2 Correctio, At hoc ideò astutus facis, ut viam tibi per dolum patefacias ad nos per emissarios tuos emungendos? *Sub.* Per communicationem; cujus summa huc redit; si hoc dolo malo fecissem, patuisset in eorum, quos ad vos misi, agendi modo; At illi,

puta

puta *Titus*, &c. iiſdem, quibus nos, veſtigiis inſiſtebant; ergò, falſa calumnia fraudis, *ver.* 16, 17, 18.

Ver. 19. Adhuc etiam anticipat calumniam: *Ob.* Quòd ita anxiè te apud nos excuſas, videris malè tibi conſcius; ſic enim ſolent qui ſibi ſunt ſceleris conſcii? *Sub.* Hoc ut declinet, 1, Deum veritatis teſtem invocat. 2 Cauſam aperit finalem veram, eorum ſcil. ædificationem.

Ver. 20. Novam aſſignat cauſam hujus ſuæ gloriationis, ut & objurgationis priùs adhibitæ; eſtilla, metus quidam ex amore profectus; hujus metûs objectum, indicatur 1, Summatim, per Prolepſin Grammaticã. 2 Per partes: Summa eſt: Ne ego vos tales reperiam quales nolim; & ne ego vobis reperiar, qualem nolitis: Partes ſunt, 1, Ne inter vos ſint æmulationes, &c. 2 Ne ipſe ſeverior paulò apud vos reperiar; hanc ſeveritatem Metonymicè vocat humiliationem ſuam; ubi notat effectum accidentarium in *Corinthiis*; deinde declarat adjuncto quodam in ſemet ſequuturo; luctu ſcil. cujus cauſam aperit, impœnitentiam ſcil. quorundam maleficorum, &c.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. εἰ συμφέρει μοι.] *Qu.* Si non expedit, cur gloriatur? *Reſp.* Expedit gloriari, & non expedit: expedit *Corinthiis*, quippe quorum reverentia erga *Paulum* jam plurimum imminuta eſt; non expedit

Paulo

Pauli (μοι, inquit) qnia ipſe alios ὑπερηφανίαν do cuerat; & valdè periculoſus eſt excellentiæ ſuæ aſpectus, & oſtentatio, quippe quæ, ſi non ſuperbiam, at ſuperbiæ ſaltem ſpeciem habet adjunctam. ἐὰν δέοντως δὲ, cauſalis ponitur pro diſcretiva, q. d. Quanquam non expediat, veniam tamen. ὀπτασίας, fortaſſe viſiones prætexebant Pſeudapoſtoli; itaque ne ipſe illis aliquo modo videretur inferior, ſuas ipſe memorat viſiones. καὶ ἀποκαλύψεις, inter viſiones & revelationes hoc videtur interesſe, quòd revelatio ſæpè contingit vel per ſomnium, vel per oraculum, in quo nihil oculis appareat; viſiones plerúnque aſpectui oculorum adhibentur. Κυρίου, nam habet & Satanas viſiones ſuas.

Ver. 2. ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ. id eſt, Chriſtianum. οἶδα ἐτῶν δεκατεσσάρων, ut intelligas, eum qui quartum & decimum annum reticuiſſet, non ſine cauſa, neceſſitate præſenti impulſum revelationem hanc propalâſſe. εἴτε ἐν σώματι, id eſt, animâ in corpore agente, an ad tempus ſeparatâ.

Ver. 3. ἁρπαγέντα τὸν τοιοῦτον ἕως τρίτου οὐρανοῦ.] Quæritur num localis hic raptus fuerit, an ſpiritalis tantùm? *Reſp.* In dubio res eſt; quanquam ſpiritalem fuiſſe vero eſt ſimilius, confer *Act.* 7. 56. & *Ezech.* 8. 3. τρίτου οὐρανοῦ, ſic vocat cœlum illud Beatorum.

Ver. 4. εἰς τὸν παράδεισον.] Hoc nomine propter omnigenas delicias, atque amœnitates appellat tertium illud cœlum, de quo ſuprà; Metaphora. ἄρρητα ῥήματα, id eſt, non tàm quæ non debeant, quàm quæ non poſſint explicari, quo modo & illud, τὸ μὴ ἐξὸν,

accipiendum ; confer quæ hîc *Beza*, ex *Clemente* στρωμ. 5. annotavit.

Ver. 5. ὑπὲρ δὲ ἐμαυτῆ οὐ καυχήσομαι.] Quæritur, quomodo non mentitur, aut ſimulat Apoſtolus? nam quòd de ſe loquatur, patet, *ver.* 1. & 7? *Reſp.* Sunt qui hæc ideo dici putant, ut arrogantiæ crimen defugiat: ſunt qui ſic accipiunt; ſignificare vult Apoſtolus ſe non habere hîc ſui reſpectum, ſed Chriſtum ſolum intueri; utrumque verè, & ad rem appoſitè ſatis: quibus ego illud addo, ſanctum ironiæ uſum, cujus hîc ſpecies quædam videtur eſſe, fidelibus Chriſti ſemper permiſſum eſſe, 1 *Reg.* 18. 27. & 22. 15. eſt ille, 1, cùm hoc modo ſtultam impiorum opinionem μωρολογίας taxamus, *Eccl.* 11. 9. 2 Cùm ad errorem ſuum agnoſcendum quempiam adducere conamur, *Ier.* 2. 28. 3 Cùm ad alios derivamus quod inviti de nobis dicimus; id quod fit potiſſimùm cùm laudes noſtras prædicare cogimur. ἐν τοῖς ἀδυνατίαις μου, ſic vocat in hac diſputatione totâ moleſtias noſtras, ſive extrinſecas, ſive intrinſecas; vel quòd cùm iis premimur, aliis infirmi videmur, & contemptibiles, vel quòd tùm potiſſimùm imbecillitatem humanam prodimus per impatientiam, murmurationes & ſimilia.

Ver. 6. ἐὰν θέλησω ἄφρων, &c.] Num ergò inſipientiæ crimen fugit is, qui veras ſuas laudes deprædicat? *Reſp.* Non id quidem; ſiquidem non neceſſariò, & ſuperbè laudes oſtentat ſuas; ſed inſipientiæ eſt magis intolerabilis, ſi quis jactabundus mentiatur ſe eſſe quod non eſt. φείδομαι δὲ, id eſt, tempero me, ſive

ſive abſtineo. διὰ τί ταῦτα: cauſam aſſignat, cur nolit impenſiùs gloriari; ne ſcil. eximia ſua privilegia ebuccinando eſſe aliquid videretur ſupra hominem, quod ſæpè accidit, vide *Act.* 14 12, 13. ſimul etiam obliquè notat Pſeudapoſtolorum mores.

Ver. 7. σκόλοψ τῇ σαρκί.] Quis hic ſit ſurculus ambigitur: ſunt qui concupiſcentiæ ſtimulos fuiſſe autumant; ſed malè; nam 1 Labores varii, itinera crebra, vigiliæ, abſtinentia, &c. de quibus 1 *Cor.* 9. 27. Non ſinebat impuros laſcivire affectus. 2 Quid quòd hoc peccatum habuit remedium, copulam nuptialem? 3 ἐδόθη, inquit, At non ſunt dona Veneris incitamenta. 4 Dum hoc modo famam ſuam tueri contra Adverſarios eniteretur, conſpurcaret magis: Alii dolorem à Diabolo illatum intelligunt: alii injurias illas & moleſtias, quas illi faceſſebant Adverſarii, tanquam Angeli quidam & Miniſtri Satanæ. Ego potiùs conſcientiæ terrentis ſtimulos fuiſſe reor; quia nullus ſurculus acrior, quàm conſcientiæ urgentis ſtimuli, immò nec carni moleſtiores ullæ punctiones, confer *Pſal.* 6. & 32. 2 Quia ab Angelo quopiam Satanæ immiſſus fuiſſe dicitur; & quidem, ut videtur, immediatè. 3 Quia obnixè deprecatur *Paulus.* 4 Quia gratiæ auxilium promittitur, & quidem manifeſtiſſimum. κολαφίζῃ, Metaphora, ſive etiam Metonymia efficientis.

Ver. 9. τελεῖται.] id eſt, perfectiſſimè declaratur; ſive lucidiſſimè ſe oſtendit: Aliter, materiam habet ſe exerendi potiſſimùm. ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ: id eſt,

ut suprà, sentiatur à me, & agnoscatur ab aliis, in me habitare.

Ver. 10. ὅταν γὰρ ἀσθενῶ, τότε δυνατός εἰμι.] φαινομένη ἀντίφασις, quam sic concilies: cùm infirmus sum quod meas vires attinet; robustus sum, scil. robore à Christo mihi subministrato.

Ver. 11. τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων.] vel summos Apostolos intellige, puta *Petrum*, &c. quorum se discipulos venditabant Magistri *Corinthiaci*; vel κατὰ δόξαν dictum, quia sic visi sunt, & videri volebant Pseudapostoli. εἰ καὶ οὐδέν εἰμι: vel hoc humiliter dictum, ut omnia Deo tribuat; vel per concessionem κατὰ δόξαν Pseudapostolorum.

Ver. 12. ὑπομονῇ.] Siquidem heroica illa virtus, quâ omnes injurias æquo animo pertulit, quasi cœleste sigillum erat, quo Dominus Apostolos suos confirmabat. ἐν σημείοις, sic vocat miracula, eò quòd non sint inania spectacula, sed quæ destinata sunt hominibus docendis. τέρασι: prodigia vocat, eò quòd novitate suâ homines expergefacere debent, adeòque percellere. δυνάμεσι, sic vocat itidem miracula per Metonymiam efficientis ἐμφατικὴν, utpote quæ sint insignia magis divinæ potentiæ specimina, quàm quæ cernimus in ordinario Naturæ cursu.

Ver. 13. χαρίσασθέ μοι.] εἰρωνικῶς dictum.

Ver. 14. τρίτον τοῦτο.] Hoc refer ad ἑτοίμως ἔχω, neque enim adhuc secundò eos inviserat; confer *Bezam* ad hunc locum. οὐ γὰρ ὀφείλει: Num ergò liberantur pueri à cura parentum alendorum? *Resp.* Minimè id quidem, *Mat.* 15. 4, 5, 6. sed primò comparatè dictum

dictum accipe, magis enim convenit, Deo ita disponente, ut filii patrum sumptibus vivant, quàm parentes filiorum. 2 Animum solùm paternum erga illos gerere indicat, quippe qui eis omnia bona recondere atque impendere studeat.

Ver. 18. ὁ τῷ αὐτῷ πνεύματι;] id est, nonne simili instituto nostro ostendimus, nos eodem Dei Spiritu regi? ἀναζώπυρις.

Ver. 19. ὑπὲρ τῆς ὑμῶν οἰκοδομῆς.] quomodo integritatis *Pauli* manifestatio ædificat *Corinthios*? *Resp.* Præparativè; scil. quòd viam paret ad doctrinam majori cum studio, ac reverentiâ excipiendam.

Ver 20. οὐχ ὅτι θέλω;] scil. Depravatos & corruptos ὅτιον ὁ θέλετε, id est, Severum scelerum vestrorum castigatorem & vindicem.

Ver. 21. πενθήσω.] scil. cùm videro tenuissimos vestros in fide ac pietate progressus. Aliter, ut suprà in Analysi.

FINIS *Capitis Duodecimi.*

CAP. XIII.

PArtes Capitis duæ sunt, 1 Comminatio severitatis, nisi resipiscant, *ver.* 2. 2 Hortatio ad officia quædam Christiana, *ver.* 11. Comminationis autem istius, 1, Exequendæ causas ponit, ad *ver.* 10. 2 Proponendæ rationem, *ver.* 10.

Exequendæ causas ponit præcipuè duas, 1, Quòd satis jam, superque scelerum convicti sunt, id quod probat ex litera legis, *Deut.* 19. 15. Tres autem testes vocat triplices admonitiones suas, quæ vim habebant trium testium, satisque ostendebant eorum in malo pertinaciam. Causa secunda, quia ipsum tentent, & quasi provocent ad severitatem, id est, quandoquidem potentiam hanc meam in corrigendo exertam vultis, ut inde intelligatis, Christianè in me loquatur, an secùs: Agite, fiat, *ver.* 3. Hanc deinde comminationem amplificat θεολήψει, causam indicans cur ipsum tentent. *Ob.* Infirmus est Christus in te, & tu ipse infirmus? *Sub.* Negatur Antecedens 1, Non erat, inquit, Christus infirmus, sed potens erga vos. *Ob.* Christus in se simpliciter infirmus est, multò magis in te impotens? *Sub.* Distinguo: Christus quidem quatenus se exinanivit pro salute nostrâ infirmitatem aliquam præ se ferebat, dum crucifigebatur; At etiam potentiam planè divinam

divinam exeruit, dum ſe potentiâ ſuâ vitæ reſtituit, &c. *Ob.* At tu infirmus? *Sub.* 1, Conceſſione, ſumus quidem quoad externam formam infirmi, ut & Chriſtus. 2 Correctione, tamen vivi & valentes per potentiam Dei. 3 Probat ab effectu ſe in Miniſterio ſuo quoad ipſos non fuiſſe infirmum; utpote per quod ad veram in Chriſto fidem perducti ſunt: Hoc autem ipſorum teſtimonio probatum cupit, ſeque, inquit, in fide deprehenſos fore, niſi fortè reprobi ſint.

Ver. 6. νόθους nova; Reprobos nos eſſe ſuſpicaris? immò tu potiùs rejectaneus? *Sub.* Spero vos cognituros nos non eſſe reprobos.

Ver. 7. Cupis itaque & ſtatuis in nos ſeveritatem tuam exercere, ut oſtendas te non eſſe reprobatum à Deo? *Reſp.* Immò, inquit, illud cupio, ut vos mihi anſam præcidatis ſeveritate utendi, benefactis veſtris; id ſi fiat, mihi perinde eſt probatuſne, an reprobus videar; Ratio ponitur, *ver.* 8. quia poteſtas Apoſtolica ideò data eſt, ut veritatem promoveat, non remoretur; quod ſi ergò ſine rigoris Apoſtolici uſu veritas propagabitur, cur ego ægrè feram, quòd Apoſtolicæ virgæ uſus mihi præripiatur, ac ego reprobus videar.

Ver. 9. Amplificat quod dixit majorum collatione; non ſolùm, inquit, æquo animo ferimus reprobi videri, ac nihili æſtimari hâc in parte, ſed & gaudemus vehementer, atque lætamur; cùm nos infirmi videmur, vos validi; immò veſtram optamus perfectionem, ut nunquam nobis detur occaſio ſeveritate vtendi.

Ver. 10.

Ver. 10. Reſponſio adhuc altera eſt ad objectum, *ver.* 7. Non cupio ut rigorem exercem in vos, cùm venero; nam ideò hæc ſcribo abſens, ut ejuſmodi occaſiones omnes mihi præſcindantur: poteſtatem autem hanc puniendi amplificat, 1, ex Authore. 2, ex fine.

Sequitur ſecunda Capitis pars, ubi etiam totius Epiſtolæ concluſio ponitur: clauditur autem partim ex hortatione, partim ſalutatione, partim εὐχῇ. Hortatio eſt, *ver.* 11. cum ratione duplici, 1, Quòd Deus pace delectetur. 2 Ab utili, quòd Dei communionem habituri ſint. Salutatio eſt, *ver.* 12. εὐχὴ, *ver.* 13.

ΣΧΟΛΙΑ.

Ver. 1. πρίτον τοῦτο ἔρχομαι.] Adventum num hîc prò-priè intelligat, an Metaphoricè, ambigunt Interpretes: probabile eſt quod *Beza* habet, eum binas ſuas Epiſtolas pro totidem ad illos profectionibus poſuiſſe: Ratio 1, ex hiſtorica narratione peregrinationis *Paulinæ*. 2 Quòd de vero adventu loquens, utitur verbo πάλιν, non πρίτον: confer *Iun.* in paral. πᾶν ῥῆμα, id eſt, Negotium controverſum, ex Lege *Deut.* 17. 6. & 19. 15.

Ver. 2. προήρηκα.] ſcil. 1 *Cor.* 4. 19. 20. 21. τὸ δὲ λέγειν, hoc refero ad προλέγω, non ad παρὼν. ἐ φείσομαι: quomodo congruit cum loco, *Mat.* 18. 22 ? *Reſp.* 1. Locus intelligitur de hominibus privatis, non de

de iis qui cum imperio ſunt. 2 Chriſti locus de pœnitentibus; *Pauli* de præfractis intelligendus.

Ver. 3. δοκιμὴν τῆς ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος Χριστοῦ.] δοκιμὴ, id eſt, experimentale ſignum ſive argumentum. λαλοῦντος ἐν ἐμοὶ: Dubitationis cauſa fuit, quòd Chriſti manſuetudinem imitatus tamdiu ſe à vindicta cohibuiſſet: ſimiles exprobrationes vide *Exod.* 16. 6, 7, 8. *Iſa.* 7. 13. εἰς ὑμᾶς: potentiam ſcil. ſuam exercuit in convertendis vobis per Miniſterium meum.

Ver. 4. ἐξ ἀσθενείας.] ἀσθένεια interpretantur *Arriani* impotentiam ad reſiſtendum; quaſi Chriſtus mori quidem volebat, ſed non poterat reſiſtere: contra *Ioh.* 10. 18. Infirmitatis vocabulum variè ſumitur, 1, Opponitur ſanitati, *Ioh.* 11. 4. 2 Robori ſive perfectioni, *Rom.* 14. 1. 3 Proſperitati, 2 *Cor.* 12. 9, 10. 4 Potentiæ, ut hìc: Num ergò impotens Chriſtus? & ex impotentia paſſus? *Reſp* Impotentia duplex; Alia naturalis, & coacta, alia voluntariæ diſpenſationis: crucifixus eſt Chriſtus ex infirmitate non naturali, quaſi non poſſet morti obſiſtere; ſed voluntariæ diſpenſationis, quatenus ſe exinaninit volens, *Phil.* 2. 7. Aliter, ex infirmitate, ſcil. carnis, quam aſſumpſit Mediator; infirmitatem enim ſcil. humanam opponit potentiæ, ſcil. divinæ; vide Antitheſin. ἡμεῖς ἀσθενοῦμεν, id eſt, Infirmi, abjecti, contemptibiles videmur. ἐν αὐτῷ: id eſt, ut alii, σὺν αὐτῷ, illius ſcil. infirmitatis participes; ut alii, in ipſius gratiâ, & illius nominis prædicatione. ζησόμεθα, id eſt, vivi, vividi, valentes, potentes de-

prehendemur, ſcil. in exercenda poteſtate Miniſteriali.

Ver. 5. ἀδόκιμοί ἐσε:] hoc alii πῶς δοκίμως, 1 *Cor.* 11. 19. opponunt: Rectiùs alii, reprobos quatenus Electis opponuntur, ſumunt. *Ob.* Non omnes reprobi, in quibus Chriſtus nondum eſt; nam & qui adhuc in peccatis manent ad Electionem pertinere poſſunt? *Reſp.* Fateor: At 1 illud verum, quibus affulſit Chriſtus in Evangelio, & cum eo communionem quandam habuerunt, hi niſi Chriſtum adhuc poſſideant, reprobationis ſignum in ſeipſis habent, 2 *Pet.* 2. 19. *Heb.* 6. 5, 6. 2 Reprobi, id eſt, in ſtatu reproborum. 3 Latiùs accipe, qui nec eſt, nec futurus eſt in Chriſto, is verè reprobus; quanquam priori interpretationi favent quæ ſequuntur; *ver.* 6. 7.

Ver. 7. ὡς ἀδόκιμοι.] id eſt, de me, meâque inter homines exiſtimatione non ſum ſollicitus: ſim ego (quando ita vultis) reprobus, dummodo vos ut Chriſtianos, & probatos Chriſti ſervos geratis.

Ver. 8. ὁ γὰρ δυνάμεθά τι.] q. d. faxit Deus ut non habeam poteſtatem miniſterialem, in ſuppliciis exercendis occaſionem, quantumvis vobis ex eo videar rejectaneus, quòd non uſurpem virgam Apoſtolicam: nam poteſtas Apoſtolica nobis data eſt ad promovendam, non ad impediendam veritatem; nec velim ego eam uſurpare, ſi veſtram mihi probetis fidam, ac ſynceram obedientiam.

Ver. 9. ἀσθενῶμεν.] Infirmos vocat, quorum abjecta eſt & vilis conditio, quibus opponit δυνατὸς, in quibus

quibus floreat virtus illa, & gratia Dei. καταρτισιν, id eſt, ut alii, inſtaurationem, & quaſi reconcinnationem; ut alii, perfectionem.

Ver. 10. ἐν εἰς οἰκοδομὴν.] Annon ergò habent poteſtatem deſtruendi Miniſtri? *Reſp.* Propriè quidem ædificandi poteſtatem acceperunt; eſt enim Evangelium potentia Dei ad ſalutem; habent tamen & puniendi, & Satanæ tradendi poteſtatem: ſed quæ 1 ad totius Eccleſiæ ædificationem ſpectat. 2 Quæ etiam ad ſalutem hominis delinquentis ultimatè tendit; confer 1 *Cor.* 5. 4, 5. & certè ſi deſtructio ſequatur, eſt hoc ex accidente, 2 *Cor.* 2. 16.

Ver. 11. καταρτίζεσθε.] id eſt, implete quæ deſunt, & ad meliora ſemper proficientes perficiamini. παρακαλεῖσθε: ſcil. in afflictionibus pro Chriſto perferendis. εἰρηνεύετε, differt à priori. τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, refertur ad conſenſum opinionum in dogmatibus fidei. εἰρηνεύειν, eſt mutuâ ſe charitate, atque animorum conjunctione complecti. ὁ Θεὸς τῆς ἀγάπης: ſcil. Author & approbator.

Ver. 12. ἐν φιλήματι ἁγίῳ.] Salutandi ritus iſte videtur à *Perſis* fluxiſſe; vide *Beζam*: pervenit tandem ex uſu vitæ communis in cœtus Eccleſiaſticos; *Juſtin.* in *Apol.* 2. ſolebant enim veteres antè cœnæ communicationem ſe mutuò oſculari, ad teſtandam eo ſigno amicitiam; deinde eleemoſynas conferre, ut quod oſculo repræſentaverant, re cõprobarent: non ſic intelligendus locus ac ſi hoc *Paulus* nobis cõmendaret; nam 1, Salutandi mos iſte illis & locis

& temporibus proprius fuit. 2 Non tam ut fiat, monet, quàm modum, quo ritè fiat, præscribit; confer *Fulc.* contra *Rhemenses*, *Rom.* 16. 16.

Var. 13. ἡ χάρις τοῦ κυρίου.] Sic vocat totum redemptionis beneficium. ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ: scil. πατρὸς, sic vocat amorem illum, non æternum, quo elegit nos, sed favorem illum actualem, quo nos in Christo charos habet. ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος.] sic vocat gratias illas inhærentes, nobis à Christo per Spiritum communicatas.

FINIS CAPITIS XIII. & totius Epistolæ posterioris Conclusio.

Trinuni soli Deo sit omnis Laus & Gloria, Amen.